



RECTORI
UNIVERSITATIS
HALLENSIS



act. Nr. 229

W. W.

Tossanis, D.

n. 5. raiture Schriften.

K. III. 19.

DANIELIS TOSSANI S. Theologiae in Academia Hei-
delbergensi Professoris, contra LAURENTIUM
ARTURUM Iesuitam Posnaniensem

DISPUTATIONES II.

Prior,

DE S. CÆNA EVANGELICA,
quam Arturus oppugnauit.

Alter,

DE SUPERSTITIOSA ET
Idololatræ Veneratione Sanctorum: quam
idem Arturus virulento Scripto contra
Tossanum rueri conatus est.

Ad Ecclesias Catholicam & Apostolicam doctrinam orthodoxè
amplectentes in Polonia.

TERTULLIAN. CONTRA HÆRETICOS.

Hæretici tantum veritati obstrepunt: Variæ præsumptiones
nolunt agnoscere ea, per quæ reuincuntur: Hoc ergo
præcipuè demonstrandum est, doctrinam nostram Apo-
stolicam esse, & ita contrariam fallam.



HEIDELBERGÆ,
MDC LXXX.

Clarissimo veréque nobili viro: D. Andrea Volano,
in Volanavv, Serenissimi Poloniae Regis Secre-
tario, Domino & amico obseruando.

Epistola ad Am- brosum. *Unum* (inquit Basilius) *quod inter maxima Dei dona nume- rari merito debet, est, quod quam longissime ob locorum distantiam seiunctis per literarum alloquium coalescere dedit, & duplicem cognoscendi nos inuicem modum largitus est: unum per presentem conuictum & congressum: alterum per consuetudinem litterariam.* Hoc posteriore modo voluit etiam Dominus nos coniungi, accedente vinculo illo perfectissimo caritatis ex vera fide & inuocatione Domini nostri Iesu Christi fluentis: quam fidem sinceram, vt haecenus constanter in patria tua asseruisti: ita hoc nomine mihi dudum carus fuisti: nunc verò nescio quomodo carior, quod non ita pridem humanissimis litteris me compellasti, quibus cum statim responderem, spem me fecisse memini, futurum, vt propediem duas hasce meas Disputationes ederem: non quòd ex eorum sim numero, qui litigium emant, neque etiam quòd sperem praefractus istos & gloriosos Pontificis Romani triarios Iesuitas flecti posse: quibus potius id imprecandum, quod D. Paulus illis sui temporis Pseudoapostolis, qui cum Iesuitis hominem partim fide partim operibus legis iustificari sentiebant, Galat. 5. v. 12. Sed hanc iustissimam Apologiam mihi extorserunt importunæ Arturi contra nostras Ecclesias calumniae: & Ecclesiarum vestrarum, quæ non paucos generosos & præclaros adolescentes pietatis studiosissimos ad nostras Scholas mittere solent, amor & obseruantia: quibus per te virum clarissimum, & de Ecclesiis orthodoxis optimè meritum, has nostras disputationes vindicandæ veritatis & confirmandorum piorum causâ conscriptas demissè offerre volui. Vale, & Salue, vir nobilissime. Calend. Febr. Ann. 1590.

T. D.
obseruantiss.
Daniel Tossanus.

AD ECCLESIAS CATHOLICAM

APOSTOLICAM DOCTRINAM

orthodoxè amplectentes in regno
Poloniæ, Præfatio.

141

*Ecclesia quondam cum floreret viris Apostolica Fide,
& sanctimonia claris, & illustribus: studiaque religionis ac
pietatis vigerent maximè: fuit ea Christianorum nūquam
satis laudata consuetudo, ut in simplicitate & veritate
Apostolicæ doctrinæ retinenda magis essent diligentes,
quàm in cumulandis superstitiosis cultibus ex hominum
traditionibus curiosi. Ex quo illud consequebatur, quod
certo & immoto fundamento nitentes, & verum ac uni-
cum Deum per unicum illum mediatorem inuocantes,
maximum habebant ad Deum amandum & reuerendum,
ac pro nomine Christi omnis generis martyria perse-
renda incitamentum. Postea, quando veritati Apo-
stolicæ successerunt hominum placita: inuocationi creato-
ris & Redemptoris inuocatio Creaturarum: Puritati si-
mul, patientiæ & simplicitati veteris Ecclesiæ successit in-
tolerabilis tyrannis, qua sua commenta & placita tueri
voluerunt ij, qui loca Sanctorum & nomen retinentes,
Sanctos viros & Apostolicam doctrinam profitentes per-
secuti sunt: donec mundus illius immanis tyrannidis per-
tesus, & ex verbo Dei prædictam à πωροϊαυ agnoscens, de
iugo illo excutiendo, & Apostolica doctrinæ reuocanda
cogitare cæpit. Verùm hanc regni sui ruinam impatien-
ter ferens Diabolus, nouum hominum genus excitauit, à
quibus vulnera bestie si fieri posset, sanarentur: IESVI-
TARVM nimirum sectam: qui et si incredibili fastu om-
nes Episcopos, Canonicos, Monachos & alios ordines præ se
contemnunt, & sub Voto PAUPER TATIS, Regum,
ā ij*

principum, nobilium & locupletiorum quorumque The-
 sauros miris artibus exhauriunt: in eo tamen Pontifici Ro-
 mano magnam operam nauant, quod omnia etiam puti-
 dissima commenta Pontificum, totamque Romanae merc-
 tricis turpitudinem varijs pigmentis tegere, excusare,
 imo vero Idololatricos omnes cultus defendere & propu-
 gnare conantur: ut mirum sit, nonnullos tam velleues vel
 credulos esse, qui se ab illis fascinari, & a veritate & sim-
 plicitate Evangelicae doctrinae abduci patiantur. Nam
 etsi literarum humanarum cognitione reliquis illis plebeijs
 plebanis & Monachis antecellunt: eo tamen sunt deterio-
 res, quod suis literis ad oppugnandam veritatem, & repe-
 tendam veterem Crambem, & idololatricos cultus defen-
 dendos abutuntur. Ac eis quidem imprimis AVDACCIA
 & MALEDICENTIA pro muro est: quod qui non pro-
 spiciunt: hi saepe versutos homines & loquutulos admi-
 rantes: eorum malitiam, Sapientiam: Futilitatem, eloquen-
 tiam indicant. Si quis autem inter Iesuitas unquam vere-
 cundiae fines transit, is procul dubio est LAURENTIUS
 ARTVRS, cum alibi, tum in Thesibus, quas de cena
 Domini anno 86 edidit & in defensione Inuocationis crea-
 turarum quam magno cum supercilio tueri nititur. Quis
 etenim est tam hebes qui non videat loco Theseon meras
 illum scribere Rhapsodias, & Tragicas Declamationes: in
 quibus nullo ordine praesertim in OPPUGNATIONE
 Cenae Evangelicorum, quidquid in buccam venit iam con-
 tra Lutherum, iam contra Calvinum, Martyrem, Bezam:
 iam contra Vitackerum Theologum Anglum, & contra
 alios congerit: illorum bene dicta carpit, alia discerpit:
 multa de suo assuit & affingit: & quos singulos aperto
 Marte aggradi non audet, unâ perstringit, & conuicijs
 obruit: Lutheranis & Calvinianis (id est Euagelicis Eccle-

PRAEFATIO .

siis) hoc commune esse affirmat, quod Canam habeant corpore & sanguine Christi vacuum: imo non sine horribili blasphemia Canam eorum COENVM vocat: nec meminit in comitijs Augustanis an. 30. decimum Articulum P. 30. c. 5. Augustanae Confessionis, qui est de Cena, à Pontificijs part. 2. doctoribus fuisse approbatum. Quid quod Arturus thes. 24. ipsemet Thesi sua 54 fatetur Lutherum, & assecclas eius apertissimis scripturae testimonijs demonstrare corpus & sanguinem Domini esse in Eucharistia? Calvinum porro scribit in Sacramentis TANTVM obsignationem agnoscere corpus calorecludere: quod nusquam tamen in Caluino legitur, ne in ijs quidem locis, quae Arturus in Thesium suarum margine annotauit. Quid plura? Doctrinam Orthodoxorum de apprehensione Christi per FIDEM vocat Phantasiam & imaginationem: Denique maledicum conuiciatorem non veridicum Disputatorem praestat, ut de Petiliano loquitur Augustinus. Aliud est autem maledicere: aliud accusare: ut praclare monet Cicero in oratione pro Celio. Accusatio crimen desiderat: rem ut definiat: argumento probet, teste confirmet: maledictio verò nihil propositum habet praeter contumeliam.

Nos igitur, ne cum huiusmodi hominibus veritati tantum obstrepentibus insanire velle videamur, illorum ἀπειρωτολογίας & πανηρολογίας facile contemnimus, & satis arbitramur iuxta Tertulliani consilium, si demonstremus nostram doctrinam esse Apostolicam: unde sequetur, contrariam esse falsam.

Ceterū lepidus est in suarum Thesium praefatione Arturus: quādo de infinitis concertationib. & questionib. circa Cenā Domini excitatis, & de resectis multis necessarijs institutis conqueritur. Quis etenim has stolidas quæstiones mouit? An panis sit corpus Christi per modum Trāsustan-

PRAEFATIO.

tiationis an Consubstantiationis? An Corpus sit in Cæna quantitativè, an mobile? An a muribus arrodatur? Quid Petrus consecraturus fuisset, si tunc consecrasset, cum Christus esset in cruce? Nonne Pontificij doctores? Quis refecit à cæna poculum laicis? Quis annunciationem mortis Christi & prædicationem beneficiorum eius, veramq; totius Ecclesie Eucharistiam? Nonne Pontificij? Quis totum illud Sacramentum in Idolum, & in reale & expiatorium Sacrificium pro viuis & mortuis transformavit? Nonne Pontificij? Et hæc adhuc scilicet legitime fieri nobis persuadebit Arturus, quia concilium Tridentinum (cuius auctoritatem loco Apostolicæ doctrinæ statim Thesi prima pro Disputationis suæ fundamento ponit Arturus) ita decrevit, & Sacrificium Missæ comprobavit. Verum enim vero cum contra illud Conciliū omnes nostræ Ecclesie protestate sint, & vel uni laico proferenti evidentia testimonia Scripturæ plus credendum sit (inquirebat Panormitanus) quam toti Concilio sine Scripturis: superuacaneū fuisset in hac Disputatione prolixè de Missæ Pontificiæ erroribus & Idolomanijs millies à nostris Theologis refutatis disceptare: maxime cum Iesuitæ mutuas operas sibi tradentes chorda eadem semper oberrent, & vetera Monachorum sophismata tantum interpolent: Satius, satius longè est Doctrinæ Apostolicæ veritatem & simplicitatem Ecclesiis ob oculos ponere: ad hanc omnes reuocare & ad eam amplectendam & retinendam, sicut in hac Disputatione facimus, pios omnes cohortari, ne ingratitude nostra, aut aliquo fastidio eam nobis pœnam accersamus, de qua apostolus 2. Thes. 2. v. II & 2. Petr. 2. v. I. Dominus Iesus, qui pretioso suo sanguine nos redemit & una oblatione peccata nostra expiavit, sanctificet vos in veritate sua, quæ sola maxime amabilis & pretiosa est: quam in utraque hac Disputatione de Cæna Domini, & de

PRAEFATIO.

IV
*non inuocandis Creaturis contra Pontificiorum Εδελύγ-
ματα, nos per Dei gratiam euidenter monstrasse, & ex Scri-
ptura consentientibus testimonijs repetijse confido, Amen.
Per scriptum Heidelbergæ. Calend. Ian. 1590. quem annum
Ecclesiæ diu varijs in locis varijs procellis iactatæ prosperum
esse velit Dominus, & liberator Ecclesiæ IESVS.*

DANIEL TOSSANVS SACRO-
sanctæ Theologiæ professor in
Academia Heidelbergensi.



PRÆFATIO.
Hoc inquit Opus, quod hactenus in
Germania, sicut in aliis partibus
Europæ, non fuit, sed in hoc
Reipublicæ, in hoc Regno, in
hoc Imperio, in hoc Christianissimo

DANIEL TOZANVS SACRO-
SACRÆ THEOLOGICÆ FACULTATIS
ACADEMIÆ MÆGISTER



I

CAENAE DOMINICAE ET APOSTOLICAE
NATIVA DESCRIPTIO,

Ex D. Paulo, I. Corinth. II.

*Thesibus aliquot perspicuis comprehensa, in quibus inter
alia ostenditur, Laurentium Arturum Iesuitam
Poznaniensem in sua (quam vocat) oppugnatione Ca-
nae Calvinianae, Canam Apostolicam oppugnare, &
eius loco Idolum Pontificium obtrudere & defendere.*

THESIS. I.

PER cenam Domini, quam alij sacram mensam:
alij Synaxin: alij Eucharistiam vocant, constat D.
Paulum & pios omnes, totam illius Sacramenti ad- 1. Corint.
ministrationem intelligere, quod Dominus noster II. V. 20.
& Servator Iesus in vltima Cena paulo ante mortem,
Agnos Paschali succedere voluit.

II.

Etsi enim vna est ab initio Mundi Ecclesia, vnus
Mediator, vna fides: nouas tamen instituit Chri-
stus in N. Testamento ceremonias quæ de Impletione
veteris Testamenti & beneficiis per Christum par-
tis significantius nos admonerent.

III.

Valde autem huic sacramento vel ipsis iam Apo-
stolicis temporibus insidiatum esse Sathanam testa-
tur obiurgatio D. Pauli. I. Cor. II. vbi tantam huius
Sacramenti profanationem fuisse queritur, vt neget
eos conuenientes in vnum, Dominicam cenam
edere.

IV.

Magnam enim in hoc sacramento opportunita-
tem se habere existimauit Sathanas, homines, qui
semper in extrema ruere solent, vel ad profanum esum

A

& potum traducendi: vel ad Artolatricam & superstitiosum ac seruilem cultum & admirationem creaturarum & signorum, loco rei signatae: sicut postea in Papatu factum videmus.

V.

Cæterum quoniam causa & fons omnis erroris tum circa Cænam, tum circa totam Religionem, hic est: quando homines à Dei verbo & Christi institutione ad sua placita deflectunt: Apostolus Corinthios reuocat ad primam & integram Cænae Dominicae institutionem, quam se ait à Domino ACCEPISSE: licet primæ Cænae non interfuerit: quandoquidem à Domino ipso per visionem arcana cælestia didicit: & nos à Domino rectè accipere dicimur, quod ab eius Apostolis & legatis in Euangelio traditum est.

VI.

Ad Cæcili-
lium.

Monet igitur Apostolus (quod ipsum Cyprianus martyr piè agnouit) in huiusmodi controuersis & negotiis non attendendum, quid hic aut ille faciat, aut ante nos fecerit vel docuerit: sed quid CHRISTVS, qui ante omnes est, & solus est VIA, VERITAS & VITA prior fecerit & fieri iusserit: nec in hominum potestate esse Sacramenta vel condere, vel mutare, vel institutis à Christo aliquid addere: cum fuerit sanctus Apostolus tam religiosus, vt de Cæna nihil, quàm quod à DOMINO ACCEPERAT, traderet aut præscriberet.

VII.

Summa
huius tra-
ctationis.

Vt porro intelligerent Corinthij, quid sit CAENA Domini, qualis sit actio, quàm reuerentur & religiosè habenda & tractanda: ad quatuor potissimum capita hanc doctrinam reuocat, docens I. quo ritu & quibus cum cæremoniis Christus Cænam illam celebravit.

brarit. II. qualem promissionem ad ritum illum annexerit: quibus duobus, nimirum re terrena & cælesti, Sacramentum constat. III. in quem finem sacram hanc Cænam instituerit. IV. quomodo accedentes ad Cænam hanc mysticam comparatos & præparatos esse oporteat, ut sit eius usus salutaris.

VIII.

Ac fit quidem primum mentio circumstantiæ temporis: **N O C T I S** videlicet in qua traditus fuit Christus, ut magis nos afficiat illa actio Servatoris, mortem tunc pro salute generis humani aduentis: ex qua morte, tota vis & efficacia huius sacri conuiuij pēdet.

Tēpus.

IX.

Quod à profanis illis inter Corinthios maximè expendi decebat: non tamen nos obstringit illud exemplum ad cænam noctu celebrandam, nec de **T E M P O R E** mandatum vllum extat: & certum est Dominum nostrum Iesum Christum ea in re ad ritum legis se accommodasse, quæ iubebat, ut vespere immolaretur agnus & celebraretur conuiuium Paschale, cui sacram Cænam substituere voluit.

X.

Recenset deinde Apostolus Cænæ Eucharisticæ ritus, de quibus hoc in genere obseruandum est; nec Sacramentis, nec vllis ritibus externis opus fore, si toti spirituales essemus, ut rectè monet Chrysostomus: verum cum corpore simul & anima constemus: convenientibus & cognatis vtrique remediis & adminiculis usus est ab initio mundi Dominus, sacris scilicet signis quibus promissioni gratiæ annexis, totum hominem excitaret, & foedus nobiscū initū obsignaret.

S. Cænar
ritus.

XI.

Simplicissimis tamen & paucissimis caremoniis

A ij

in nouo testamento, lucente videlicet sole iustitiæ, uti voluit: sed ijs significantissimis, facillimis, augustissimis, & ad nouum hoc fædus obsignandum accommodatissimis.

August.
lib. 3. de
Doctr.
Christ.
c. 9.

XII.

Sacram hanc itaque & mysticam cœnam celebraturus dominus Iesus accumbens cum discipulis suis
Panis. **ACCEPTIT PANEM**, non extraordinarium aliquem, sed quem in Cœna paschali apposuerat hospes, qui panis cibarius, ut præcipuum nutritionis corporalis instrumentum, egregiam analogiam habet cum vero illo cibo, & pane cœlesti animos solide pascente ad vitam æternam, de quo. Ioh. 6. copiosè docuerat.

XIII.

Sicut & veteres longo tempore eum panem, quo in
Tertull. Agapis suis vescebantur, ad Eucharistiam adhibe-
in Apo- bant eiusque reliquias pauperibus distribuebant.
loget.

XIV.

De illo pane, quo tunc usus est Christus, aliquid adhuc extare, & asseruari in Hispania, in vrbe Ouetana, in templo quod D. Seruatoris vocant: scribit Lucius Marineus, Historicus Siculus, sed fide Sicula.

XV.

Quod verò Sacra Cœna cum infermentato pane celebrata fuit à Domino, factum est tantum occasione ceremoniæ Paschalis. Qui autem postea pro panibus azymis pugnarunt, toti in fermento fuerunt, & controuersias non necessarias excitarunt. ac primus quidem Alexander Papa de panibus azymis in Cœna vsurpandis Legem tulisse dicitur.

Vide Augustin. li. 6. contra Faust. Manich. c. 9.

XVI.

Tandem crescente superstitione, non tam panis, quàm spuma panis, aut farinae, forma rotunda, cum
imagi-

EVANGELICA.

imagine crucifixi proposita fuit, quasi nummulos aut nummularios panes (vt Gregorij verbis vtar) offerre vellent.

Tom. 1.
in 1. Reg.
cap. 2.

XVII.

Sic nec panis verus in Cæna remansit: nec nomen ipsum panis: sed paulatim loco Sacramenti, Idolum, & ex oblatis & Hostiis, quæ Pani Sacramentali substitutæ fuerunt, Sacrificium conflatum fuit.

XVIII.

Cæterum panem Eucharisticum religiosè tractandum admonuit nos Christus, *Gratias agens patri*, vel (vt loquitur Matthæus cap. 26.) *benedicens*: (sicut & benedictio: Marcus cap. 14. vtroque vocabulo *εὐλογίας* & *εὐχαριστίας* in eadem sententia vtitur:) benedictione & gratiarum actione, non cõmuni sed peculiari & huic mysterio conuenienti, quæ procul dubio non dissimilis fuit illi, quæ recitatur Matth. II. v. 25 & cum consideratione summæ illius *Φιλανθρωπίας* diuinæ, qua filium dedit pro nobis, coniuncta fuit.

XIX.

Illa gratiarum actio, qua Patrem, non autem Panem alloquutus est, nihil commune habet cum magica Pontificiorum consecratione, qua ad panem sese conuertunt: & demurmuratis aut insufurratis verbis panem consecrari, & confici corpus Christi putant.

XX.

Quæ opinio eò magis absurda est, quòd Euangelistæ magno consensu scribunt, prius *Ἐχαριστίαν* illam siue *Ἐλογίαν* à Christo habitam, quàm vel panem fractum distribueret, vel verba illa pronunciarer: **H O C EST CORPVS MEVM**: quibus tamen vim totam illius consecrationis tribuunt.

A iij

XXI.

Ideo nec. 1. Corinth. cap. 10. illius consecrationis per certa verba ad panem demurmurata mentio fit, aut alicuius mutationis substantiæ panis: siue panis (vt loquuntur) transsubstantiati: sed ait simpliciter Apostolus PANEM, quem frangimus, esse communionem corporis Christi.

XXII.

Quod autem poculum vocat τὸ ποτήριον τῆς εὐχαριστίας, idem est ac τῆς εὐχαριστίας, vt supra ex Euāgelistis ostendimus: poculum quod cum gratiarum actione sumimus, vt Chrysostomus rectè interpretatur.

XXIII.

cōsecratio. Hęc sollemnis Gratiarum actio est pars consecrationis siue sanctificationis horum Elementorum, quæ ad sanctum vsum, nempe Sacramentalem, adornantur & transferuntur: quæ Sanctificatio propriè à tota ordinatione Christi, & imprimis à verbis promissionis, & à fine propter quem hæc Cæna instituta est, pendet.

XXIV.

Fractio panis. Gratiarum Actionem, siue Benedictionem sequitur FRACTIO & DISTRIBUTIO Panis. Panem enim Euangelistæ & Paulus Apostolus *fractum*, id est (vt verbum Græcum sonat) in frustra comminutum magno consensu recitant: & post huiusmodi fractionem datum, siue distributum, ne frangere hic pro distribuere accipi putemus.

XXV.

Neque enim tautologia in hoc mysterio describendo vtuntur Euangelistæ: nec eodem verbo vtitur Esaias cap. 58 vers. 7. cum ait: *Partire esurienti panem*: aliud enim est partiri, aliud frangere: quanquam illa ipsa
phra-

phrasia quando frangere panem pro distribuere accipitur, non excludit, sed præsupponit fractionem panis: quando quidem fractæ placentę apud Iudæos distribuiebantur.

XXVI.

Et frigitur etiam extra Cęnam Domini frangitur panis: certum est tamen ritum esse Sacramentalem, & à Christo mandatum, non minus quam Panis summationem & distributionem: Ideò tota Actio, Synecdochicè FRACTIO panis vocatur Act. 2. v. 42. vbi Syrus Interpres pro fractione panis Eucharistiam interpretatus est, & Panis fractus. 1. Cor. 10. Communio corporis Christi dicitur.

XXVII.

Habet etiam ritus ille fractionis duplicem Analogiam I. ad corpus Christi fractum pro nobis, vt loquitur D. Paulus 1. Corinth. 11. id est interprete Esaia cap. 53. variis doloribus propter iniquitates nostras attritum. II. ad varia Ecclesię membra, quę licet panis in multa frusta concisi instar, multiplicia sunt, & inter varias dispersi gentes: vnum tamen corpus sub capite Christo constituunt.

XXVIII.

Adfert & Beda (venerabilis cognominatus) aliam quoque rationem huius fractionis: *Fregit (inquit) ipse panem quem porrigebat, vt ostenderet corporis sui fractionem spontaneam esse, & se potestatem habere ponendi animam suam, & rursus sumendi.*

In. 22.
Luc.

XXIX.

Hunc ritum retinuisse veterem Ecclesiã non solum testantur veterum scripta, Irenęus lib. 5. cap. 4. Cyrillus in Iohan. lib. 4. c. 14. qui fracti panis & fragmentorum panis meminerunt: Verum etiam illius

Luthe- ritus vestigia in ipso Papatu, ubi in quatuor partes
rus de fra frangitur hostia: quod ipsum agnoscit Lutherus in li-
ctione bro de abroganda missa priuata ad fratres Augusti-
panis nianos: inter alia scribens: *Fregit panem, non leuauit mo-*
Tom. 2. *re legis: Omnes tres Euangelistæ una diligentia similiter &*
Latin. *Paulus memorant, panem esse à Christo fractum & datum*
Ienenfi. *discipulis. Quid est frangere, nisi in multa partiri? Quid da-*
re discipulis nisi partitum alijs distribuere? Non est ergo
Christiana Missa, nisi Eucharistia frangatur, & multis
Nota. *distribuat. Simulant Papistæ hanc fractionem, dum in*
tres partes hostiam partiuntur: sed sibi solis distribuunt. Vi-
des, si usus instituti Dominici permanisset, nunquam sacri-
ficium ex Eucharistia factum fuisset, &c.

Distri-
butio pa-
nis.

XXX.

Panem ergo fractum dedit, siue distribuit Christus, & proculdubio in manus Apostolorum dedit, utpote quæ verum sunt organum percipiendi ea, quæ ad corpus pertinent. Nam & Luc. 22. poculum tradens dixit: Accipite hoc & partimini inter vos. Sic & Theodosium Imperatorem monens Ambrosius, quærebat quomodo *cruentis manibus* Christi sanguinem siue poculum Domini accipere posset.

XXXI.

Etsi verò in huiusmodi Ceremoniis parum positum esse nonnulli arbitrantur: periculosum tamen est, à ritibus à Christo mandatis, discedere: imo intolerabilis est audaciæ, plus in hisce mysteriis augustissimis sapere velle, quàm Christus sapientia Patris sapuerit: manifestum autem, sicut supra ex Luthero recitauimus, mutationem Ceremoniarum à Christo institutarum, Cænæ Dominicæ Sacramentum in Sacrificiū vel Idolum potiùs, paulatim transformasse.

Panem

XXXII.

Panem porrò fractum & distributum iubet Christus accipi & comedi ore corporis, tanquam rem terrenam, quæ corporali instrumento & modo percipitur & comeditur, qua perceptione significatur applicatio beneficij cælestis, quam quisque fidelis sibi ipsi facere debet, & iubet panem comedi, non asseruari aut circumgestari, multò minus adorari.

XXXIII.

Eadem est ratio vini in poculū effusi, de quo Christus Apostolos bibere voluit: duobus his signis, pane & vino, sanciens istud sacramentum: quemadmodū Vinum. & Apostolus vtrumque toti Corinthiacæ Ecclesiæ commendavit.

XXXIV.

Primum enim hoc pacto plena nutritio, quæ per Christum nobis contingit, appositè representatur: cuius caro cibus: Sanguis potus ἀληθῶς esse dicitur Ioh. 6. Deinde admonet eatenus carnem Christi nobis esse cibum, quatenus pro nobis tradita est, & sanguis effusus pro expiatione peccatorum. Denique cum poculum dicatur sanguis, & constet tamen sanguinem Christi non amplius realiter fundi, & actionem hanc esse ἀναίματος, Carnales opiniones de corporis Christi manducatione, aut reali in pane præsentia remouentur.

XXXV.

In iis verò regionibus, in quibus nullum planè vinum reperitur, Cæna tamen celebrari potest, quam in vsum totius Ecclesiæ instituit Christus: modò adhibetur liquor, siue talis potio, quæ illis sit loco vini, quæque ad corpus in vita communi reficiendum & sustentandum faciat.

XXXVI.

Quod ad reliquas Ceremonias attinet: certum est, Dominum non ad altare celebrasse S. Cœnam: neque enim tunc in templo fuit, nec sacrificare, sed Sacramentum instituere voluit: Ideò Apostolus totam hanc actionem per Synecdochen vocat MENSAM DOMINI, quam etiam discernit à sacrificijs, quæ in altari ab Israelitis secundum carnem offerebantur.

1. Cor. 10.
18.

XXXVII.

Vasa etiam nulla peculiaria, sed vsitata adhibuit, nempe *πάτηρον*, poculum (calicis & patinæ, vel aureorum & argenteorum vasorum nulla fit mentio) quia talem simplicitatem requirebat Nouum Testamentum & huius Sacramenti dignitas non à forma vasorum, sed à Christi ordinatione & promissione gratiæ pendeat.

poculū.

XXXVIII.

Et rectè monet Chrysostomus: omnia in illa Cœna intus fuisse aurea, argentea & augustissima, totamque illam actionem ipsis angelis suspiciendam, licet foris tenuis & simplex esset apparatus.

XXXIX.

Hanc simplicitatem vetus Ecclesia retinuit, ut apparet ex Tertullian. lib. de velandis virginibus: & Zephyrini Episcopi Romani decreto, circa ann. 207. qui vitrea pocula in S. Cœnæ celebratione esse voluit.

XL.

Tandem Vibano cuidam Papæ placuit, ut aurea & argentea vasa vsurparentur: *In hoc enim* (inquit ille, referente Gratiano *sicut & in reliquis cultibus magis ac magis per incrementa temporum decus succreuit Ecclesiarum: ne ergo decus illud minueretur, decreuimus, ne quis ligneis vasis uti presumat.*

De con-
secr. dist.
1.

At

XLI.

At quàm intolerabilis est illa præsumptio, fastidire ritus à Christo institutos, & Cænæ Domini nouum & alienum decus velle conciliare & hominum corda, quæ sursum ferri debebant, ad inanem & auream pompam retrahere?

XLII.

Interim reformatis Ecclesijs insultat Laurētius Arturus. & dum simplicitatem rituum a Christo institutorū retinent, profanitatis eius accusare eas non dubitat, quam in Corinthijs reprehenderit Apostolus: conferens Euangelicorum Cænā cum Symposijs Græcorum, & ridens mensas pane & vino communi extructas.

XLIII.

Quid hoc verò aliud est, quàm per nostrum latus confodere institutionem Christi, & Cænā Apostolicam, in qua & mensam & panem cibarium, & vinum fuisse, & accubuisse Christum cum discipulis constat, quem accubitus in Geneuensibus (de quibus tamen pessimè est informatus: ibi enim communicantes non accumbunt mensæ) vt profanum vituperat?

XLIV.

Nec certè Apostolus Corinthios propter mensam, vel panis & vini vsum, vel propter accubitus reprehendit: sed quod nullus inter eos legitimus esset conuentus, & propriam Cænā quisque præoccuparet, vt faciunt Sacrificuli in Papatu: item quòd alij esurirēt, alij ebrii essent: ac deniq; irreligiose, sine fide, sine meditatione huius mysterij, sine caritate erga proximum cænas illas celebrarent.

Corinthii quaere reprehensi.

1. Corint.
11. v. 20.
21.

XLV.

Et hæc quidem de ritibus Cænæ Dominicæ à Christo mandatis dicta sunt: vt scilicet in legitimo fidelium coetu recitatis verbis institutionis, & cū gratiarum aëtionè consideratis Dei erga nos beneficiis panem à ministris Ecclesiæ acceptum, fractum, distributum accipiamus & manducemus: poculum, vel de vino in poculum fuso, nobis ab iisdem præbito bibamus.

XLVI.

De secun- Cæterùm cum Sacramenta à Christo instituta nō
do, nēp^e sint inania spectacula, sed accedente ad Elementū ver-
de pre- b) promissionis fiat Sacramentū: obseruanda est im-
missione. primis in hoc Sacramēto annexa promissio: quod ni-
mirū de pane illo fracto & exhibito dicit postea Chri-
stus, HOC EST CORPVS MEVM, quod pro vo-
bis datur, vt habet Lucas: scilicet ad mortem: siue vt
loquitur Paulus: *quod pro vobis frangitur*: grauiſſimis
Esai. 53. nimirum doloribus laceratum, & contulum. Sic de
poculo ait: *Hic est sanguis meus Noui Testamenti, qui
pro multis effunditur in Remissionem peccatorum*: vel, vt
Lucas & Paulus, *Hoc poculum est nouum illud Testamen-
tum per sanguinem meum, qui pro vobis effunditur.*

XLVII.

Etsi autem non planè iisdem verbis vtuntur Euan-
gelistæ, idem tamen re ipsa dicunt, & illa vocum ali-
quot diuersitate, ac paululum diuersa collocatione
monent, vim aliquam occultam in verbis non latere,
quemadmodum sibi Pontificij persuaserunt.

XLVIII.

Nam & Paulus. 1. Corinth. 10. verba illa quasi pa-
raphrasticè interpretatus, ait: *Panis quem frangimus
nonne communio corporis Christi est? Poculum benedictio-
nis*

nis, nonne communio sanguinis Christi est?

XLIX.

Verba igitur sunt nec Creationis, nec Magicæ incantationis, sed verba promissionis Euangelicæ, verba Testamenti vel fœderis gratiæ, quæ & plena consolationis sunt, & à religiosis mentibus in hoc Sacramento maximè consideranda.

Verba
Cænæ.

L.

Ideo quotiescunque Sacra Cæna in nostris Ecclesiis celebratur, verba Christi cum tota huius Sacramenti institutione, (sicut à D. Paulo factum est) accuratè recitantur, additis necessariis commonefactionibus, & solemni ad Deum gratiarum actione.

LI.

Quò magis effrontem se præbet Laurentius Arturus, qui affirmare audet nostras Ecclesias in hoc mysterio Formula à Christo præscripta non uti, & concione aliqua soloque usu contentas esse: quod ideo fortasse pronuntiat, quòd in distributione signorum verba quædam non demurmuramus ad panem, quod nec Christus fecit, nec Apostolus fieri præcepit.

Arturi
Alūnia.

LII.

Non enim ex pauculis verbis, aut syllabis, sed ex tota Christi ordinatione pendet huius Sacramenti consecratio: & cū sint verba promissionis, non propter panem sed propter hominē pronuntiata fuerunt: & efficacia sunt, non quatenus dicuntur, sed quatenus creduntur, siquidē in his *aliud est* (vt loquitur Augustinus) *sonus transiens, aliud virtus permanens.*

LIII.

Non igitur (quod absit) de VERBIS Christi litigamus (quemadmodum multi calumniātur) an illa scilicet vera sint, nec ne: vel an retinenda, prælegenda, calūnia.

Aduersa-
riorum

B iij

explicanda & credenda sint: quod religiosè fit in nostris Ecclesijs. Nec quæritur an vel quomodo possit Christus præstare quod promisit: sed quid promiserit, & quis sit illorum verborum sensus & rectus intellectus.

LIV.

Scriptura enim non rectè intellecta (vt monet Theodoretus) *desinit esse Scriptura*: & ita ab Hæreticis & à Diabolo ipso vsurpantibus, & citantibus Scripturam discernitur vera Ecclesia, quòd & verba Christi & mentem eius tenet, & scripturam cum scriptura confert, nec pugnantia & contradictoria, sed vnam de rebus diuinis sibi que semper consentientem veritatem credit & amplectitur.

LV.

Et illa est *Φρόνησις* Christiana, quam in horum mysteriorum diiudicatione requirit Apost. i. Corinth. 10. v. 15, quæ certè non exiit hominè ratione & iudicio, sed rationè & iudiciū habet à Spiritu S. informatū, & in rebus diuinis exercitatū ad discretionē boni & mali, & ad verba iuxta subiectam materiam intelligenda.

Christiana

Φρόνησις.

Hebr. 5.

LVI.

Cum porro fateantur omnes, etiam id diffiteri nō audeant Pontificij, Christum tum instituisse Sacramentum noui fœderis, quis non videt inde sequi, loquutionibus vsū fuisse Sacramentalibus: vnionem etiam panis & corporis, poculi & sanguinis non posse statui nisi Sacramentalem: māducationem denique talem, quæ Sacramentis, duabus rebus diuersis terrena & cælesti constantibus, conueniat.

LVII.

Quod si perpēdatur, nonne facessere oportet eorum cogitationes, qui quærunt, an obscuris, an dubiis & per-

perplexis modis loquendi, vsus sit in hac Cæna Christus, aut qui inusitatas prædicationes imaginantur cum piis omnibus & Christianis sacro Baptismate tinctis nota sit doctrina Sacramentorum, nota promissio gratiæ, notum foedus Domini, quod his Sacramentis obsignatur.

L VIII.

Sed magna fuit fraus Diaboli, qui vt hoc mysteriũ partim inuolueret, partim totum deformaret: ad Elementi externi admirationẽ homines traduxit: verba verò dulcissimæ promissionis truncata, ad nescioquam magicam incantationem conuertit: ad illa cohorrescere homines voluit: de sensu vero verborum, & de Sacramenti ratione sollicitos esse noluit.

L IX.

Cum ergo Christus seruator, panem corpus suum esse in hac Cæna pronunciarit, poculum sanguinem: nulli quidem ambiguitati aut dubitationi hinc locus relinquitur, sed ita se rem habere, & hanc sacram Cænam non propter panem & vinum (quas epulas domi habemus) sed propter corpus pro nobis traditum, & sanguinem pro nobis fustum, quæ sunt thesaurus noui foederis, institutam esse omnibus modis credendum est.

L X.

Verũ cum aliquid ESSE variis modis dici possit, & non solũ humana ratio hominis Christiani & regenerati, sed institutio imprimis Sacramenti, coherentia prædicati cum subiecto, historia institutionis Cænx, & articulus Incarnationis non patiantur, panem realiter & substantialiter esse Christi corpus, traditum pro nobis veritati horum verborum nihil planè derogat, sed eã asserit, qui dicit panẽ esse corpus.

Christi: sed iuxta subiectam materiam (& vt se Christus interpretatur) nempe Sacramentaliter: siue quatenus eius est *μνημόσυνον* signum & *σφραγίς*.

LXI.

In Sacramentis enim (vt piè & prudenter monet Augustinus) duo hæc præcipitia cauenda sunt, *vt nec signa inutiliter interpretemur, & nuda faciamus, quod male vagantis erroris esset: nec literam sequentes signa pro rebus quæ significantur, accipiamus: quod seruilis esset infirmitatis, imò ipsa mors anima, si sine intelligentia, quod figuratè dictum est, tanquam propriè dictum sit, carnaliter acciperemus.*

Duo præcipitia in doctrina Sacramentorum. Lib. 3. de doctrin. Christi. ca. 9. c. 6.

LXII.

Et ibi disertè cap 9. vtriusque Sacramenti, Baptismi & Cænæ, mentionem facit, & cap. 16. inter figuratas loquutiones nominat hanc *qua iubemur manducare carnem Christi*: ostendens, si litteram sequamur, facinus præcipi: sed cum dicimur manducare carnem Christi, id cum figura aliqua dici: quæ monet passioni Dominicæ communicandum, & suauius ac vtiliter in memoria recondendum, quòd caro eius pro nobis crucifixa sit.

LXIII.

Sed ne autoritatibus aut rationibus humanis pugnare videamur, ex ipsis scripturis & ex verbis institutionis edocebimus, panem dici corpus Christi, non propriè sed Sacramentaliter, & per consequens modo loquendi, siue figura orationis in Sacramentis vsitata, quæ vulgò Metonymia dici solet, (quam tamen nonnulli Synecdochen vocant) quando signo rei signatè nomen tribuitur, aut contra.

LXIV.

Nec refert vbi tropum ponas: in copula, aut prædicato,

dicato: rectè enim alterutrum horum dicitur. Panis significat corpus. vel panis est signum, figura vel memoriale corporis: quanquam propriè in modo prædicationis siue attributione tropus agnoscitur: quam tamen attributionem & coherentiam prædicati cum subiecto copula significat. Tali prædicatione in mysteriis vti Scripturam, monet Theodoretus, vt Sacramentis vtentes non sint intenti ad naturam eorū, quæ oculis aspiciuntur: sed ex nominum permutatione discant intueri eam, quæ ex gratia fit, mutationem, siue exhibitionem doni caelestis.

Dialog. 1.

Prædicatione Sacramentalis.

LXV.

Quemadmodum autem non sola Cæna Domini est Sacramentum: sed tum in vetere, tum in Nouo Testamento alia quoque Sacramenta instituta fuerint: sic euidentem prædicationem Sacramentalem vsitatam esse in omnibus Sacramentis Veteris & Noui Testamenti.

LXVI.

Nullum porrò Sacramentum est, de quo propriè & sine aliquo tropo resignata de Signo prædicetur: vt nec ipsa circumcisio præputii, fuit foedus, vel circumcisio cordis: nec Agnus paschalis, ipse Transitus Angeli, vel ipsa liberatio primogenitorum Israeliticorū: nec aspersiones legales ipsa atpersio sanguinis expiantis peccata, aut Spiritus regenerās: nec poculū in Cæna, ipse Christi sanguis vel Nouum Testamentum in sanguine: nisi *secundum quendam modum*, vt loquitur Epist. 23. Augustinus, *nempe significandi mysterio.*

LXVII.

Interim rectè resoluuntur figuratæ loquutiones in proprias: vt circumcisio dicitur *σημείον ἡ σφραγὶς* foederis. Agnus paschalis signum & memoriale transi-

Rom. 4.

Exod 12.

1. Cor. 11.

C

tus: Panis *μνημόσυνον* corporis, Donec veniat: Baptis-
mus Sacrum signum Regenerationis.

LXVIII.

Cum enim sint Sacramenta, rectè & iuxta Scri-
pturam totamque piam vetustatem Elementa exter-
na dicuntur, Signa, typi, signacula, mnemosyna, figu-
ræ: quandoquidem in Sacramentis omninò signa, fi-
guras & repræsentationes esse oportet: alias Sacra-
menta non essent: ita tamen vt in N. Testamento ty-
pi sint non rerum futurarum, sicut in Veteri: sed iam
præstitarum, Christi nimirum verè pro nobis passi.

LXIX.

Nec sequitur nuda esse signa: vel res signatas, puta
Christi corpus & sanguinem (vt nonnulli nugantur)
tropicas fieri: quando signa à rebus signatis distinguū-
tur, quia sunt signa, sed non signa umbrarum, sed rerū
verè existentium, & quæ in vsu legitimo verè exhibentur,
eo modo, quo res cælestis exhiberi debet & potest.

LXX.

Genes. 3. Nec minus vera est illa propositio licet figurata:
1. Ioh. 3. Semen mulieris conteret caput serpentis: quàm hæc
non figurata, Filius Dei dissoluet opera Diaboli: &
continet vtraque nucleum promissionis Euangelij.

LXXI.

Credimus ergo omninò Christo dicenti: *Hoc est
corpus meum.* sed credimus eo sensu, quo loquutus est,
nempe Sacramentali, quia tunc nec nouum corpus
assumit, nec disparuit, nec transformatus fuit: nec in
pane se abscondidit, nec fuit panis pro nobis traditus
ad mortem: nec in poculo realiter, sed in cruce san-
guinem effudit: verum signo Sacramentali promif-
sionem gratiæ attexuit.

Vnio

LXXII.

Vnio siquidem Sacramentalis, vt & ex Scripturis, Vnio Sa-
& ex correlatiuorum ratione manifestum est, nequa- cramen-
quam est *συγκομία*, siue vnio physica aut magica, nec talis.
inclusio alicuius nouæ substantiæ in signis, nec est v-
nio personalis, sed est talis vnio, qua id quod signifi-
catur, verè & ob oculos ponitur, & in recto vsu exhi-
betur.

LXXIII.

Signum quippe & signatum correlatiuè se habēt,
& ex Dei ordinatione significant signa, quid Deus eis
det, & in iis agat, ad quos pertinet promissio gratiæ.
Hæc Sacramēta sunt (inquit Augustinus lib. 3. contr.
Maximin. Arrian. cap. 22.) in quibus non quid sint,
sed quid ostendant, semper attēditur, quoniam signa
sunt rerum, aliud existentia, & aliud significantia.

LXXIV.

Promissio ergò sicut fit homini & propter homi-
nem, sic *κοινωνία* & realis vnio est non cum pane, sed
cum homine, propter quem corpus Christi traditum
& sanguis effusus est.

LXXV.

Idem de Fœdere sentiendum est: verba Cænæ sunt
verba noui Testamenti siue Fœderis, quòd in Cæna
obsignatur. Fœdus autem nec cum pane, nec cum in-
fidelibus iētum est, sed cum Electis & credentibus. Er-
gò non quid in pane lateat, aut quid infideles perci-
pian, sed quid credentibus detur, licet inter hos mul-
ti sint infirmi, considerandum est.

LXXVI.

Nam & manifestè Christus docet Ioh. 6. *eos solos mā
ducare carnem ipsius, & bibere sanguinem, qui credunt &
in eo manent. Item, Quisquis edat carnem illam, & bibat*

illum sanguinem, habere vitam.

LXXVII.

Nec est vt quis hoc eludat, quasi in Cæna aliud egerit Christus, quã Ioh. 6 & hoc sit μεταβαίνειν εἰς ἄλλο γένος. Licet enim Ioh. 6. non instituerat adhuc Sacramentum, agebat tamen de re Sacramenti: & sunt res planè homogeneæ, corpus, de quo Ioh. 6. agitur, & corpus, cuius Cæna est Sacramentum.

LXXVIII.

Siquidem nec vel aliud corpus repræsentant, vel aliud fœdus obsignant Sacramenta, quàm quod pro nobis traditum est, & cuius tota Scriptura mentionem facit.

LXXIX.

Quod corpus, nec iufinita aliqua inuisibilis essentia est, nec corpusculum in pane latens: nec corpus maiestatiuum, de quo hodiè nonnulli disputant: sed vt verba Cænæ sonant, corpus traditum pro nobis, scilicet ad mortem, cum quo Signa Sacramentalia analogiam habent, sicut & cum sanguine pro remissione peccatorum effuso.

LXXX.

Atque hoc nomine rectè dicuntur nostra Sacramenta Signa & Sigilla fœderis siue promissionis gratiæ: quæ gratia non in corpore simpliciter considerata vel in corpore latente in pane, sed in remissione peccatorum per corpus Christi traditum pro nobis, siue propter sacrificium mortis Christi posita est.

LXXXI.

Vnde fit, vt in celebratione huius mysterii mortem Domini annunciari sedulo velit D. Paulus, non autē de sessione ad dextram, vel corpore aliquo infinito, omnipotente, quod sit vbiq; hoc loco disputari.

Et

LXXXII.

Et quidem **DONEC VENIAT**: scilicet è cælis, ubi est realiter, & substantialiter, non autem **UT VENIAT** & illabatur corporaliter in panem.

LXXXIII.

Neque tamen nuda quedam est representatio corporis Christi in Cæna, sed testificatio & obsignatio tū Noui fœderis, tum (quod cum fœdere coniunctum 1. Cor. 12. est) nostræ κοινωνίας cum Christo, & insitionis in eius corpus, quæ in Baptismo inchoata, in Cæna promovetur & confirmatur. Galat. 3.

LXXXIV.

Tunc enim demum de Remissione peccatorum, nostri per Spiritum Christi renouatione, aliisque beneficiis fœderis certi sumus, quando sumus membra corporis eius, & ipsemet regnat & viuit in nobis.

LXXXV.

Et hic est ille modus siue gradus præsentia, quem summo cum solatio agnoscunt pię mentes, de quo totum Ministerium testatur, & quem nobis Sacramenta obsignant, præsentia scilicet capitis nostri viuificantis & sanctificantis Ecclesiam suam. Præsentia Christi.

LXXXVI.

Hæc qui non considerarunt, quid nimirum proprie sint Sacramenta, quid fœdus, quæ promissio gratiæ qua animę pascuntur ad vitam æternam, ne illi in perniciosos errores, innumerasque contradictiones inciderunt, & Ecclesiam, quæ hoc Sacramento recreari & consociari debebat, vehementer turbarunt.

LXXXVII.

Iam enim in verbis Christi, *Hoc est corpus meum*, Idēticam propositionem esse, iam miraculosam mutationem, iam Synecdochen, vt sit sensus: Hic, id est,

in hoc pane est corpus meum, vel panis est corpus paneum, aut impanatum, in uersa propositione Christi: iam virtute verborum pronunciatorum, iam ratione vnionis personalis & omnipraesentiae, corpus Christi esse in pane, iam modo repletiuo, iam definitiuo, iam simul & eodem tempore localiter in caelo: in pane maiestatiuè esse imaginati sunt.

LXXXVIII.

Ita nimirum solet falsum esse multiplex: & solent illi esse in *τρεῖς ὁδοὶ λογισμῶν*, qui vnum non rectè intelligere volunt: quid nimirum sit *vnio Sacramentalis*: vnde postea in ipsam vnionem personalem: & veritatem humanæ Christi naturæ impingunt, & noua quotidie sibi que haud consentanea proferunt.

LXXXIX.

Sed nec illi verba Cænæ attendunt, quandoquidē nusquam & nunquam dixit Christus, corpus suum esse *in pane*: nusquam & nunquam habet corpus inuisibile & infinitum: nusquam & nunquam docuit Scriptura, foedus vel nouum Testamentum consistere in corpore latente, in pane, & eius orali manducatione, sed in remissione peccatorum per sanguinem Christi, & nostri sanctificatione: quod omne in Sacramentis & repræsentatur & obsignatur & offertur, & omnibus fide excipientibus verbum gratiæ exhibetur.

XC.

Nam quod vel veteres nonnūquam vel nostri quoque, propositiones illas vsurpant aut admittunt: *IN PANE*, cum pane distribuitur corpus Christi: fit cum adiecta commoda interpretatione: nimirū non per consubstātiationem, sed relationem, qua Christi corpus & sanguis in pane & vino tanquam symbolis considerantur: & per saporem vini (vt loquitur Cyprianus)

Vide lo-
ca.

nus) redolemus sanguinem Christi: sic scribit Augustinus in Sacramento visibiliter sumi corpus: scilicet mysticè, quia in his mysteriis, ut habet canon Nicænus *attollentes sursum mentes & corda fide consideramus, agnum Dei in illa mensa propositum.*

XCI.

Sed nimis crassi, & sibi contradicentes sunt illi, qui dum se localem corporis in pane præsentiam tradere nolle profitentur, subinde tamen Aduerbia loci usurpant, HIC, IBI, VBI est panis. Item in os ingredi corpus: Item has propositiones æquiparant, Hoc est corpus meum: & cum de cunis in quibus localiter est infans, dicitur: Hic est infans: De sacco, in quo localiter est auena, Hic est auena.

XCII.

Denique cum de veri corporis Christi præsentia tanto cum supercilio gloriantur, loco veri corporis, naturalis, finiti, visibilis, quod pro nobis ad fœdus stabilendum traditum est, phantasticum corpus, quod nec ossa, nec sanguinem habeat, in pane absconditum à sanguine separatum: cuius sanguis realiter sit in poculo, & quod non minus sit in foliis arborum, quam in pane Eucharistico, corpus denique quod nec viuum, nec mortuum comminiscuntur.

XCIII.

De illis itaque hominibus verè dici potest, quod Athanasius ad Eustath. scribit: *Iubent isti accipere simpliciter, que dicuntur, ut nemo exquirat, quid decens aut indecens sit, & fidem vocat hæresis assensionem perniciosam, non consideratam, non excussam, in ijs, que consistere non possunt.*

XCIV.

Item Vigilus lib. 2. cont. Eutychem: *Origo malo-*

rum & impietatum hac est, quando caelestium dictorum virtus vitio malè intelligentium temerata non secundum sui qualitatem sensus perpenditur: sed in alias res pro arbitrio & voluntate legentis, secus quàm veritas postulat, deriuatur.

XCV.

Et hætenus de secundo capite, nempe de promissione annexa ritibus & signis Cænæ Dominicæ. iam tertium etiam excutiendum est, in quem finem sacram hanc Cænam instituerit Dominus.

XCVI.

3. caput
de Fine
Eucharistia.

Hoc enim cognito & varias hominum superstitiones, qui hoc Sacramentum ad alienos & præposteros fines retulerunt, detegemus, & modum perceptionis & manducationis rei caelestis facile cognoscemus.

XCVII.

Ac primùm quidem perperam confundunt multi fines passionis & Cænæ Dominicæ, qui diuersi sunt & distincti: Panis enim non dicitur edi, aut vinum Cænæ bibi ad Remissionem peccatorum: sed corpus traditum & sanguis effusus dicitur, scilicet in cruce pro remissione & expiatione peccatorum, cuius rei Sacramentalis ἀνάμνησις siue recordatio in Cæna instituta est.

XCVIII.

Deinde errant grauitè, qui hîc sacrificium reale & expiatorium esse statuunt: cùm disertè doceat Christus hæc exhiberi & sumi in eius ἀνάμνησις, id est, Recordationem.

XCIX.

In Col. loq. cum Triphō. Sic Iustinus Martyr scribit, panem Eucharisticum nobis commendatum ad commemorationem corporis pro nobis assumti & traditi, vt Deo gratias agant.

agantur, & admoneamur, quanta sit Christus pro nobis passus.

C.

Imò id ipsum Gratianus de Consecrat. distinct. 2. fateri cogitur: cum scribit, semel Christum mortuū: quotannis autem anniuersaria recordatione repræsentari, quod semel est factum.

C I.

Monet etiam RECORDATIONIS VOX, Cænam non institutam vt ibi primùm fiamus participes Christi, quem iam filij Dei in Baptismo induerunt: sed vt eius recordantes magis ac magis in fide & caritate proficiamus, & in illo adolescamus. Galat. 3.

C II.

Neq; tamen nuda hîc & otiosa statuēda est ἀνάμνησις, siue recordatio rei præteritæ: sed talis, qua singulis fideles in huius Sacramenti usu, Christum cum omnibus eius beneficiis sibi applicant, & præteriti semelque in cruce peracti Sacrificij tum ex promissionis, tum ex Signorum Sacramentalium contemplatione ita recordantur, vt & dulcissimæ cum Christo κοινωνίας incrementum, & consolationē summam, fideiq; suæ confirmationem sentiant, quæ recordatio facit, vt simul recordentur, quantum vicissim amorem tam pio seruatori, quantamque charitatem suis proximis debeant.

C III.

Ideò rectè dicuntur hæc Sacramenta in recto usu non solùm significatiua, sed & exhibitua, hac nimirū ratione, qua Christus in mysterio verbi sui & usu Sacramentorum sese communicare solet, & animas nostras corpore suo pro nobis tradito efficacissimè pascit, longè præsentiore efficacia, quàm corpora nostra

D

pane pasci, & vino refici solent.

CIV.

Et hæc est præsentia, quam ferunt & requirunt hæc mysteria, & quæ quotidie perficitur per ministeriū E-uāgelij, quod institutū est, vt perducamur ad sanctā illā communionem cū Christo, & per ac propter Christum cum Patre & Spiritu S. qua fit, vt non nos viuamus, sed Christus in nobis viuat, & nos Deo viuamus.

CV.

Ephes. 2.
Rom. 1.

Antè enim mortui eramus in peccatis: nunc uiuimus fide, quæ Christum apprehendit, per quæ Deus reconciliatus est, & qui in nobis instaurat vitam nouā.

CVI.

Manducatio
Christi.

Non igitur ore corporali percipitur & manducatur Christus: quem errorem ipsemet reprehendit Ioh. 6. nam & anima suam habet famem & sitim, & suum os, suosque oculos: & corporali instrumēto non percipitur res cælestis: cibus, inquam, ille mētis, non ventris, qui in verbo promissionis proponitur.

CVII.

Serm. de
verbis
Christi.
Qui dixerit
verbum, &c.

Quomodo fieri posset (inquit Athanasius) vt totus mundus ederet de carne ipsius, quæ non sufficeret paucis hominibus? Ideo Dominus cum Apostolis de carnis suæ manducatione loquens, Ascensionis suæ mentionem fecit, vt à corporali eos manducatione abstraheret, & vel inde discerent, carnem, de qua loquutus erat, cibum esse cælestem, & in alimoniam Spiritualem dari.

CVIII.

Nec pertinet ille thesaurus ad impios, profanos & infideles: quibus nihil promittitur, nec in Testamēto Christi legatur: nec possunt illi Recordationem illam peragere, quæ ad vsum legitimum Sacramenti requiritur.

Ergò

CIX.

Ergò signum Sacramentale quidem percipiunt: non rem Sacramenti, quæ in verbo promissionis omnibus quidem cõmunicantibus verè offertur, sed à solis credentibus percipitur, quemadmodum Euangelium *potentia est Dei ad Salutem omni credenti.*

Rom. 1.

CX.

Et tamen rei sunt corporis Christi: quia panis ille est Sacramentaliter corpus Christi, siue signum corporis Christi, & rei sunt propter profanitatem suam & contemptum tanti beneficii. Sic & contemtores Euangelij filium Dei conculcare, & sanguinem foederis per quem fuerant sanctificati, profanum ducere dicuntur.

Hebr. 10.

CXI.

Neque enim vnquam ad condemnationem percipitur & manducatur salutaris ille cibus, sicut Categoricalè pronuntiat Christus: Qui edit meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam: & ego excitabo illum in vltima die.

Ioh. 6.

CXII.

Licet verò cum toto Christo communionem habemus: non sine causa tamen dicimur manducare carnem eius, & bibere sanguinem, cum quibus etiam Signa analogiam habent. I. Quia per sanguinem eius expiata sunt peccata, & sancitum foedus. II. Quia huic corpori inferimur, vt communionem habeamus cum Patre & Spiritu S. quandoquidem nos aliàs Diuinitas ipsa absorberet, non pasceret: carne autem tradita pro nobis ad iustificationem & vitam nostram pascuntur & recreantur animæ fideles, & inde sequitur pax, gaudium, vita, & robur inuictum contra omnes tentationes.

D. ij



CXIII.

Primarium autem illum finem Cænæ, qui est Recordatio Christi, meriti eius & foederis per mortem eius sanciti, nostræque cum eo *κοινωνίας* incrementum, consequuntur alij fines, Gratiarum nimirum actio, ad quam nos rapit illa diuini muneris recordatio, dilectio etiam proximi, cui libenter nos impertiri debemus, quemadmodum se Christus pro nobis tradidit.

CXIV.

Est etiam Cænæ Dominicæ celebratio, & vsus: publicum testimonium nostræ fidei & Religionis, quo nos obstringimus magis ac magis Christo, & profite-mur nos renuntiare mūdo, idololatriæ, & falsis omnibus cultibus, quandoquidem nisi vellemus Dominū ad iram prouocare, non possumus mensæ Domini participes esse, & mensæ Dæmoniorum.

CXV.

Ex his, quæ ex Institutione Dominica, tum de ritibus tum de verbo promissionis & fine S. Cænæ dicta sunt, non difficile est, plenam illius Sacramenti Definitionem exstruere: talem nimirum quod S. Cæna, sit actio sacra, siue ritus Sacramentalis à Domino institutus, quo N. Foedus, siue promissio Euangelij de Christi carne pro nobis tradita, & eius *κοινωνία* & fruitione ad vitam æternam nobis obsignatur, vt annunciantes mortem Domini, & illum habentes in nobis habitantem ad gratitudinem erga Deum & dilectionem proximi magis ac magis accendamus, eique toti adhæreamus.

CXVI.

Et hætenus de Finibus Cænæ. nunc de quarto dignum, nempe quomodo ad illam dignè & salubriter celebrandam comparati esse debeamus. Nam si

regis

4. Caput
de dignis
& indi-
gnis siue

regis purpuram aut vestes conspurcatis & illotis manibus tractare non licet, multo minus Sacramentum corporis & sanguinis Domini.

de digna
participa-
tione
Cenæ.

CXVII.

Non quòd ad Sacramenti dignitatem aliquid cõferat nostra dignitas: sed ad nostram vtilitatem & salutem confert, vt rectè præparati accedamus.

CXVIII.

Hic autem tria à nobis expendi vult selectum illud Dei organum Apostolus Paulus. i. quinam digni & qui indigni censeantur. ii. quàm grauitè peccent indignè accedentes, & quas sibi pœnas accersant. iii. quomodo se quisque probare debeat, & in quo illa probatio consistat.

CXIX.

Quod ad primum attinet: Indigni sumus omnes natura, indigni (inquam) tanto beneficio, & non idonei ad tanta mysteria percipienda: sed quòd idonei sumus, ex Deo est. 2. Corinth. 3. & Colof. 1. Sed fides etiã inchoata & infirma ex indignis dignos facit.

Dignos ergò vel dignè tractantes hæc mysteria vocat Apostolus eos, qui sese probant, & qui diiudicantes hunc panem Sacramentalem, siue panem, qui dicitur corpus Domini, religiosa mente accedunt: & licet infirmitates in se sentiant, de illis emédandis serio cogitant, & Christi, in quem credunt, dignitate sese consolantur.

CXXI.

Indigni contra sunt homines prophani, non diiudicantes hæc mysteria, qui nec fide, nec charitate præditi ad hanc mensam accedunt, quales erant Corinthij illi, τὸ κενὸν δειπνοῦν ἰδιωτικῶς καὶ οὐ κατασκευασμένως.

D iij

γίαις τῆς πίστεως, vt habent scholia græca.

CXXII.

Et possunt tamen indignitatis certi gradus poni: vt nimirum sint palam profani & impij, qui iudicium damnationis æternæ incurrunt: alij, qui ex focordia quadam & incogitantia reuerentiam debitã ad hæc mysteria non adferunt, nec satis seipso probant: attrahunt sibi quidem iudicium correctionis Diuinæ, sed temporarium, de quo propriè agit D. Paulus, proposito exemplo eorum, qui illis temporibus ob irreligiosam tractationem Cænæ Dominicæ certis morbis lethalibus corripiebantur.

1. Cor. II.

CXXIII.

Errant autem Anabaptistæ, qui puritatem absolutam in communicantibus, vt digni sint, requirunt: cū constet in ipsis Apostolis multas fuisse infirmitates, & Sacramenta ad fidei confirmationem, & remediũ aliquod nostræ infirmitatis instituta sint, non vt profiteamur, nos esse perfectos & omnis vitij expertes.

CXXIV.

Errant & grauius Pontificij, qui loco fructuum sinceræ pœnitentiæ satisfactiones quasdam Canonicas, aut confessionem auricularem præscriptis verbis suis communicantibus imponunt.

CXXV.

Et hoc loco nobis ostendenda est vanissimi hominis Laurentij Arturi effrons maledicentia, & calumniandi libido, qui thesi 40. affirmare ausus est, Protestantes, & Evangelicos vniuersos suadere, vt lamentatio conquiescat, vt dolor sileat, vt delicti memoria euanescat.

CXXVI.

Id verò vt probet, solum Caluinum in margine notat

notat ex lib. 3. Instit. cap. 4. sect. 38. neque tamen eius verba citare vel adponere est ausus: quia Calvinus illo in loco, solas illas Satisfactiones superstitiosas Pontificiorum reprehendit & eius loco seriam meditationem huius mysterij & confessionem seriam peccatorum suadet.

CXXVII.

Ab sit enim vt Exomologeses pias, sinceras, siue sint priuatae, siue publicae, improbemus, aut eliminemus: nos inquam, qui superstitiosas tantum & perfunctorias illas confessiones, quibus vel illuditur Deo, quando conceptis verbis aliquot, sine Pœnitentia fit confessio in aurem Sacerdotis, vel vexantur conscientiae scrupulosa enumeratione peccatorum, reijcimus:

CXXVIII.

De superstitiosis illis ritibus, quibus homines neglectis præcipuis, Fide, penitentiâ, caritate intenti sunt, dudum conquestus est D. Augustinus. *Hoc nimis deleo* (inquit) *quod multa, quae in diuinis literis saluberrimè præcepta sunt, minus curantur: & tam multis præsumtionibus plena sunt omnia: vt grauius corripiatur, qui per octauas terram nudo pede tetigerit, quam qui mentem vinoletentia sepeliuerit.*

In Epist.
ad Ianu.

CXXIX.

Indignè porro & irreligiôsè ad Cœnam accedentium peccatum duobus modis exaggerat Apostolus. i. ab Obiecto, quod non in panem, vinum, aut merum aliquem & vulgatum hominem peccent: sed in corpus & sanguinem Domini: qui non est $\Psi\lambda\omicron\varsigma \acute{\alpha}\nu\theta\rho\omega\pi\omicron\varsigma$ (vt rectè monent græca scholia) sed simul Dei filius, & Dominus omnium. ii. ab euentu siue pœnis: quod IUDICIUM manducant, id est, non ad vitâ, sed ad maiorem eamque peculiarem pœnam Sacra-

mentum Dominici corporis percipiant.

CXXX.

Aliud autem est manducare iudicium: aliud Christi corpus, quod manducatum semper est viuificum: Et hæc est condemnatio, non quòd percipiatur Christus: sed quia impij in eum non credunt, Iohan. 3.

CXXXI.

Iam videndum: QVOMODO SE QVISQVE probare debeat. Probantur & explorantur inter alia, metalla, vt corrupta & adulterina ab incorruptis discernantur.

CXXXII.

Multò magis conscientia examinanda est, vt eam bonam coram Deo retineamus, & examinanda nostra fides: an sincerè agamus cum Domino, an intelligamus voluntatem eius, an finem huius Sacramenti, & conditiones Diuini foederis.

CXXXIII.

Nam vt maximè nos non probemus, probat ille & examinat ipsa penetralia renum. Psal. 7.

CXXXIV.

Nos verò ipsos singuli, non alios probare & examinare debemus, & nostras familias: vt nostros defectus emendemus, & in pietate proficiamus. Probet (inquit Paulus) quisque seipsum: alios quippe examinare, vel in alios communicantes inquirere, propriè ad presbyterium siue ad Ephoros Ecclesiæ spectat.

CXXXV.

Cæterum ad hanc nostri probationem iustæ trutinæ adhibendæ sunt, eæque potissimùm duplices. 1. quoad fidem: trutinæ Articulorum fidei: vt nos probemus, an rectè de Deo, de Christi persona & officio, de Spiritu S. & Ecclesia sentiamus. 2. Corinth. 13. Probate

bate vos (inquit Paulus) an in Fide sitis: nisi fortè reprobi estis. II. Quoad mores, adhibenda est trutina Decalogi, vt videamus, an iuxta Dei voluntatem vitam & mores, quantum in imbecillitate huius carnis fieri potest, componamus.

CXXXVI.

Probationis finis esse debet, non vt statim despondeamus animum: vel ob aliquam infirmitatem arceamur à Cæna, sed vt ingemiscamus ad Dominū, & errata ac defectus agnoscentes proficere conemur tum in fide, tum in vita Christiana, suspirantes ad Dominum, vt ille Marc. 9. *Credo Domine, succure infirmitati meæ.* Si verò illa mysteria nondum intelligimus, & vetus fermentum malitiæ aut iræ contra proximū nondum expurgare possumus, vel scandalum recens Ecclesiæ dedimus: ad tempus abstineamus, ne in sacra communione, osculum Iudæ Christo præbere videamur.

CXXXVII.

Confessionem auricularem, quam ipsimet Scholastici agnoscunt non esse à Deo mandatam, & iam olim magnis de causis à Nectario Constantinopolitano Episcopo ab rogatam fuisse, Historia Eccles. testatur (de qua Innocentius 3. papa primus legem tulit, circa annum 1198) meritò omittunt orthodoxæ Ecclesiæ.

Confessio Auricularis. Vide decret. Tit. 38. Omnis vtriusque sexus.

CXXXVIII.

Nam partim ad securitatem carnalem homines assuefacit, qui totum annū se extra noxam & periculū esse putant, si semel in anno ex opere operato in aurem sacerdotis aliquam confessionem deponant: partim conscientias scrupulosas, quibus omnia occulta peccata enumerare impossibile, vehementer cruciat.

Psal. 19.

E

CXXXIX.

Eiusverò loco Catecheses, & examina iuniorum & rudiorum: Exomologeses, sed liberæ adultiorum & omnium, qui ministros Ecclesię consulere volunt, & vel consolationem vel institutionem petunt, Item Censuræ Ecclesiasticæ in Ecclesijs reformatis vsurpantur.

CXE.

Et hæctenus quidem de Cæna à Christo institutæ, & ab Apostolis religiosè obseruata, & quid ad eius legitimam celebrationem requiratur, ex Beati Pauli & Euangelistarum verbis recensuimus.

CXLII.

Arturi Calūniæ & Sophismata. Hanc puritatem & simplicitatem tum doctrinæ tum rituum Apostolicorū cum magno consensu retineant & amplectantur Ecclesiæ Euāgelicæ reformatæ, quas Arturus & alij importuni homines Caluinianas appellant, manifestum est, Laurentium Arturum, dum eam, quæ in nostris Ecclesijs celebratur, Cænam oppugnat, Christi & Apostolorum Cænam oppugnare.

CXLII.

Et ille quidem cum initio suarum Thescon institutionem Christi expendere & ad eam eos, quos oppugnabat, reuocare deberet, refert, quid Synodus Tridentina pontificia, contra quam omnes nostræ Ecclesiæ exceperunt, de ea re statuat.

CXLIII.

Ac ibi statim Thesi. 2. mirè se inuoluit, vt sententiam Synodi Tridentinæ explicet, perplexè scribens, Christi corpus non prorsus more corporatorū, sed aliqua ex parte instar Spiritus, sub specie panis cōtineri.

CXLIV.

Dum verò nostrarum Ecclesiarum sententiam referre

ferre se ait, ne verbum quidem ex Confessionibus nostris publicis proferre audet, sed Carolstadiū & alios nominat, quorum de Cœna sententiam nostræ Ecclesiæ nunquam sequutæ sunt: & dissensiones aut sententiarum varietatem nostris obiicit, cū in omnium manibus sit tum confessio Ecclesiarum Helueticarū, quam omnes nostræ Ecclesiæ probarunt, tum Harmonia confessionum Euangelicarum, ex quibus nostra sententia depromenda erat, non ex truncatis & mala fide citatis priuatorum hominum scriptis.

CXLV.

Quod porrò Thesi quinta Calvinum reprehendit, quod contra Vvestphalū scribens, Christi corpus neget esse in pane Cænæ naturaliter: haud ille recordatur, se paulò ante fassum, nō ibi esse planè corporatorum more, imò agnoscere Scholasticorum plerisque supernaturaliter adesse Christū in hoc mysterio.

CXLVI.

Obiicit præterea Arturus, nostros omnia dubia & fallacia de hoc mysterio docere: Calvinum inter alios non sibi constare, qui dicat Christum absentem, è celis iam vigorem aliquem, iam vitam, iam efficaciam mortis in nos transfundere.

CXLVII.

Atqui & Calvinus & omnes nostri magno consensu hætenus docuerunt & docent, Cænam Christi nō esse sine Christo: nec vel eius vitam, vel vigorem vllū percipi posse, nisi eius prius simus participes, & fiamus membra corporis ipsius.

CXLVIII.

Ideò Calvinus eos reprehendit, qui præterita carnis & sanguinis mentione, Spiritus modò Christi nos participes esse volūt: cum tamen non frustra dicatur, Instit. li. 4. cap. 17. sect. 7. & sect. 10.

Carnem Christi esse verè cibum: sanguinem verè potum: quod fieri non possit, nisi nobiscum Christus verè in vnum coalescat, nosque reficiat carnis suæ esu, & sanguinis potu.

CXLIX.

Nec sunt ista pugnancia, Christi corpus abest ab Elementis, (corpus enim intulit cælo, vt testantur omnes Euangelistæ, & Articuli Fidei, nec inde corporaliter veniet, donec veniat iudicatum viuos & mortuos:) & tamen præsentissimus est Christus, eo gradu præsentia, quo in toto Ministerio, & qui nobis est Salutaris, se communicando, nos vniendo sibi & viuificando, ac sustentando inter certamina huius vitæ, donec ad se colligat, & simus vbi est.

Ioh. 14.
Ioh. 17.
1. Thes.
4.

CL.

Etsi enim (inquit Calvinus) incredibile videtur in tanta locorum distantia penetrare ad nos Christi carnem, vt nobis sit in cibum, meminerimus, quantum supra sensus omnes nostros emineat arcana Spiritus Sancti virtus, & quàm stultum sit, eius immensitatem modulo nostro velle metiri. Quod ergò mens nostra non comprehendit, concipiat Fides, spiritum verè vnire, quæ locis disiuncta sunt.

Instit. 4.
c. 17. sect.
10.

CLI.

Sed quid Arturus reformatis Ecclesiis varietatem aut lubricitatem doctrinæ in hoc mysterio obiicit, qui statim thes. 2. pugnancia ponit de corpore Christi: nihil vnquam definit, nihil ex verbis institutionis probat: vt prætereamus vagas & infinitas Scholasticorum disputationes.

CLII.

Inter alios verò valde se implicat & torquet Thomas Aquinas, quem isti pro angelico doctore habent,
dum

dum disputat, vtrum corpus Christi sit in Sacramen-
to, vt in loco: Et tandem fatetur, nec localiter, nec de-
finitiuè esse in Sacramento, sed per conuersionem pa-
nis: Disputat etiam, an Christus sit mobiliter in Sacra-
mento: ex qua quæstione se expedire non potest, ac
moueri quidem negat: tandem ait, moueri per acci-
dens, secundum habitudinem corporis ad Sacra-
mentum.

CLIII.

Petrus autem de Alliaco, Cardinalis Cameracen-
sis, in quæstionibus in Magistrum Sententiarum di-
fertè fatetur, circa modum ponendi siue statuendi
corpus Christi in Sacramento, diuersas esse scholasti-
corum sententias: Alios dixisse, quod illud, quod ante
consecrationem erat panis, postea sit corpus Christi:
sed illam opinionem non posse sustineri; aliam opi-
nionem esse, quod Substantia panis remaneat: & val-
de possibile esse, Substantiam panis coexistere sub-
stantiæ corporis, & corpus Christi assumere substan-
tiam panis.

De Con-
substan-
tiatione.

CLIV.

Et illam quidem sententiam vt plurimum sequu-
tus est Lutherus: quanquam nec talis vnio conuenit
Sacramentis, nec congruit illa sententia cum verbis
Institutionis, sicut & eam Guitmundus monachus
quidam sub Henrico tertio, Lanfranci discipulus lon-
gè ante Petrum de Alliaco publico scripto refutauit:
vbi inter alia scribit: *In carnari filium Dei humana redem-
tionis ratio poscebat: At impanari Christum nulla ratio
poscebat. Nec propheta hoc pradixere, nec mundus exce-
ptis his paucis credidit: Impanatores Dominus Spiritu oris
sui profligat, cum dicit: Hoc est corpus meum: non, Hic vel
in hoc pane latet corpus meum.*

li. de Ca-
ptiuit.
Babylon.



CLV.

Magnam autem suis hominibus maculam aspergit Arturus, qui pronunciat, Lutherum genuisse omnes Sacramentarios: cum Lutherus (in hoc saltem dogmate) profiteatur, se sequi iam sententiam Cardinalis Cameracensis, ut in lib. de captiu. Babyl. iam Papæ Nicolai, ut in maiore confessione: & longè ante Lutherum, ea, quam amplectimur, doctrina ab Apostolis tradita, ab Augustino repetita (si puriora eius & præcipua scripta spectes) itè à Bertramo presbytero, tempore Caroli Calui, à Vvaldensibus fratribus & alijs publicis scriptis & Confessionibus asserta fuerit.

CLVI.

Sed imprimis magnæ impudentiæ est, quod Sacramentarium errorem vocat, si quis de Sacramentis sacramentaliter, siue iuxta rationem & modum Sacramentorum cum Scriptura loquatur: imò cum iis ipsis, quorum sententiam Pontificij se maximè amplecti præ se ferunt, ut Augustini, item Gratiani & Petri Lombardi, quos duos pro summis magistris agnoscunt.

CLVII.

Contra assertionem enim Concilij Tridentini, quam Arturus amplectitur Thes. 1. & 2. de corpore Christi sub specie rerum sensibilibum contento, non tanquam in signo, quod non fide solùm, sed & ab impijs & hæreticis ore percipiatur, ita ex Augustino docet Gratianus, De consecrat. Canon. 31. & sequent.

CLVIII.

Ex Augustino: *Qui discordat à Christo, non manducat carnem eius: et si tantæ rei Sacramentum ad iudicium accipiat. Item: donec seculum finiatur, sursum Dominus est. Quomodo manducandus est Christus? Quomodo ipse dixit:*

Qui

Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo. Eadem tradit Petrus Lombardus lib. 4. Sentent. dist. 9.

CLIX.

Ita & nostræ Ecclesiæ docent, Sacramentaliter, vel Sacramentotenus non Substantialiter aut realiter manducari ab impiis & hypocritis corpus Domini, siue panem Domini, contra Dominum, qui panis ratione finis & Institutionis Christi, rectè Sacramentum dicitur, licet impius propter contemptum, & quia os tantùm corporis adfert, nil nisi panem & vinum in iudicium accipiat. Verùm prodigiosum est, quod referente ipso Gratiano à Papa Nicolao, Berengario præscriptum fuit, corpus & sanguinem Christi sensualiter manibus sacerdotum tractari & frangi & dentibus fidelium atteri.

CLX.

Id ipsa glossa absurdissimum esse videns annotat: *nisi id cautè & de speciebus panis & vini intelligas, incidi in maiorem heresim, quàm fuerit Berengarij.* Et certè pugnat id manifestè cum iis, quæ Gratianus ibidem adfert ex Eusebio Emisseno: *Corpus Christi Fide respiciente contingi:* & ex Augustino: *Gratiam Dei non consumi morsibus.*

CLXI.

Cæterùm & Lombardus, & tota Pontificiorum Schola pugnantia planè & cōtradictoria de hoc mysterio perpetuò docent: vt cum ait corpus Domini in Cæna non esse per modum substantiæ: & tamen docent ibi æquè crassum & longum esse, quàm in cruce. & Lombardus lib. 2. distinct. 12. *Nullum tale corporeum existere posse, quod nullam habeat formam:* nam si spacia corporib. tolluntur (inquit Augustinus) *NVS QVAM*

01317

SVNT: quod Augustini dictum eludi nequit cum quaestio esset de corpore Christi quomodo pendens in cruce diceret Latroni: Hodie mecum eris in paradiso. & ibi disertis verbis scribat Augustinus Christū *Vbique per id quod Deus, in certo loco per id quod Homo.*

CLXII.

Quid ergò sibi volūt Gregorius de Valentia & Arturus, qui contra suum magistrum, & contra Augustinum subinde inculcant, non esse de corporum substantia, esse in loco: cum corpus sit substantia: loco contineri accidens: quasi verò essentialia accidens, quale est esse in loco & trina dimensio, quam in corporibus statuit Aristoteles, non discerni debeat ab illo communi accidente, quod adesse & abesse potest.

CLXIII.

Deus (inquit Cyrillus lib. I. in Iohan.) non est in loco: **CORPORVM** hæc est proprietas. Inanis est itaque distinctio illa quantitatis, quam faciunt Iesuitæ, qua ponatur ordo inter partes corporis, exempli causa, vt sint oculi supra nasum: quam illi concedunt: & qua corpus sit in loco: quam non necessariam faciūt, cum tamen prior sine hac esse nullo modo queat.

CLXIV.

Sunt & ista tum inter se, tum cum Scripturis & verbis Institutionis pugnancia: corpus Christi esse in Cælo per modum Creationis, siue corpore creato: In Cæna per modum consecrationis: Et quod in aliis reprehendunt, fatentur corpus visibile tam procul esse ab Eucharistia, quàm Cælum à Terra:

CLXV.

At vnde illi probabunt, Corpus, quo pascimur in Cæna, & cuius verba Institutionis meminerunt, non esse corpus illud, quod creatum & factum est in
vtero

utero virginis, quod traditum fuit pro nobis (vt verba Institutionis sonant) quod denique vt visibile fuit in terris, visibile manet in cælis?

CLXVI.

Licet verò Aristoteles *τὸ πρῶτον* actu in loco nō esse scribit li. 4. Phys. cap. 5. est tamē potētia locale, & suis terminis finitur & posito aliquo corpore circa ipsū etiā illius terminis clauderetur, hoc est, actu esset in loco. Sic corpus Christi, cuius collocatio in cælis ignota fuit Aristoteli, semper suæ substantiæ terminis cōprehenditur, & extra illos nusquā est, ideo circūscriptū: nec simul potest habere diuersas dimensiones: Naturalem in Cælo: in Hostia nummulariam.

CLXVII.

Et quid illud sibi vult, quoue fundamento Scripturę nititur, quod duplex Christi corpus faciunt, vtrumque verum, reale & Substantiale corpus: alterum in cælo visibile, creatū circūscriptū: alterū in Sacramento inuisibile, consecratum, incircumscriptum.

CLXVIII.

Quid quod Lombardus li. 4. distinct. 11. illud inuisibile corpus, quod immolatur in terris, ex Gregorio pronūciat, cælo ad vocē Sacerdotis aperto, ministerio angelorū rapi in cælū, consociandū corpori Christi.

CLXIX.

Neque pro eis facit quod patres nonnulli, vt Hieronymus. Clemens Alexandrinus & alij, dupliciter aiūt, carnem & sanguinem Christi intelligi: *vel vt spiritua- lem & diuinam, de qua sit dictū: Caro mea est verè cibus: vel vt carnem, quæ crucifixa est, & sanguinem, vt effusus est.* Non enim est hæc eorum sententia, duplicem esse carnē substantia, aliā visibilē aliā inuisibilē: sed vnā & eandem carnem considerari duobus modis, vel qua-

F

tenus caro est: vel quatenus nobis in cibum caelestem est ordinata.

C L X X .

Sic & carnem inuisibilem vocare solent patres, illius carnis energiam, qua animæ nostræ viuificantur, quia corpus Christi, quod est in cælis, & nos pascit ad vitam æternam, oculis corporeis à nobis non videtur, & est aliquid *νόητον* siue intelligibile, quod sola mens fidelis contemplatur. Cùm autem Lombardus lib. 4. Sent. ait, *carnem inuisibilem esse Sacramentum visibilis carnis quæ est in cælis*, quis non videt, per carnem inuisibilem nihil aliud intelligi, quàm Sacramentum ipsum, in quo in mysterio & Sacramentaliter caro Christi considerata proponitur? Nunquam enim patribus in mentem venit, vel duplicem substantiam carnis Christi facere, vel corpus aliquod inuisibile & Marcioniticum Christo tribuere.

C L X X I .

Desinat ergò Arturus, contradictiones & obscuritates nostris Ecclesijs obiicere, & videat ipse, quomodo tot monstrosa & pugnantia suorum dicta conciliare possit.

C L X X I I .

August.
lib. 3. de
Trinit.
c. 10.

Nec est, vt hîc Pontificij confugiant ad miraculū, quia hæc Sacramenta honorem vt religiosa, non autem stuporem, vt miracula habent: nec vllum miraculum vnquam fecit Christus, aut facere voluit, quo simul in Sacramento signum, nempe veritas panis & vini & veritas corporis Christi, quod in Cæna & post Cænam visibile mansit, tolleretur: nec sicut in Cæna Galilææ Aqua desit esse aqua per miraculum, desit Corpus esse corpus, aut panis esse panis in Cæna.

1Ae

CLXXIII.

At putat ille se magnum inuenisse compendium ad nostrarum Ecclesiarum cenam quasi vno ictu euer tendam: cum ait, nostros ministros esse Laicos, nec ad Sacramentum illud conficiendum idoneos, atque ideo nostram Cenam esse planè inanem.

cap. 3.
thel. 15.
De vo-
catione
Ministro-
rum Euā-
gelicorū.

CLXXIV.

Mirū, ni Arturus magnus artifex cōficiendi huius Idoli panacei tantum sibi tribuit, quantum Bauari- cus ille concionator, Cresuicus qui anno 1557, tempo- re colloquij Vvormaciensis pro concione impuden- ter gloriari ausus est, presbyterum multis modis & prærogatiuis matrem Christi Mariam antecellere, quæ Christum semel peperit, quem Sacerdos quouis momento conficiat.

CLXXV.

Sed quid si ex Lombardo eius præceptore respon- deamus, *Sacramentum non merito consecrantis, sed ver- bo Creatoris, & virtute Spiritus S. effici?*

lib. 4.
Sentent.
dist. 13.

CLXXVI.

Cæterum nos ibi libenter figimus pedem, vbi nos sistere vult Arturus, & respondemus, Laicos esse, & ad hæc Sacramenta tractanda ineptos qui rebus se- cularibus toti addicti sunt: qui regum & principum aulas, easque, quæ in illis offeruntur, voluptates sectā- tur: quales sunt plerique Pontificiorum Episcopi, de instituendis gregibus, de docendo & Sacramentis ad- ministrandis parum solliciti.

CLXXVII.

Vel si mauult, ex Gratiano respondeamus pro Epif- copis non habendos, quos nec doctrina, nec laudabi- lis vita commendat, & qui fauore principum aut am- bitu ad illas dignitates peruenierunt.

CLXXVIII.

Monemus etiam cum ut meminerit, circa annum 1200. in concilio Lateranensi constitutum, ne quis nouus ordo amplius institueretur: quo decreto si stādum est, Iesuitæ & alij ordines, qui ab eo tempore emerferunt, nullo loco habendi sunt: imò nec ij omnes presbyteri, qui à tempore concilij Basiliensis ordinati fuerunt, in quo Eugenius Papa exautoratus, abdicare se tamen Pontificatu noluit, & cum Schismaticus esset, nullam potestatem ordinandi episcopos & presbyteros habuit.

CLXXIX.

Rectè autem in nostris Ecclesiis sacra ab ijs presbyteris administrantur, qui iuxta canones Beati Pauli apti sunt ad docendum, vnius vxoris mariti, habentes bonum testimonium, desiderati à suis gregibus, examinati & ordinati à presbyteris & presbyteriis: nonnulli etiam à Synodis prouincialibus.

CLXXX.

Thes. 28. Quod verò instat, ut maximè legitimè vocati essent nostri Ministri, eos non posse conficere hoc Sacramentum, quia formula à Christo præscripta in his mysteriis non vtuntur, mera est calumnia, quam ipsemet refutat. Nam si verba, quibus conficitur hoc Sacramentum, ut ipse scribit, Thes. 29. sunt verba, quæ D. Paulus I. Corinth. II recensuit, nos ut supra demonstratum est, illa integra retinemus: ex ipso textu Euāgelico prælegimus: & cum sint verba promissionis & noui Fæderis, ex promissione Euangelij interpretamur.

CLXXXI.

Et verba quidem Christi cum Elementis hoc Sacramentum conficiunt: sed verba nec ad Elementa
penti

pertinent, nec propter Elementa pronunciata fuerunt: & sunt Sacramenta organa Spiritus S. non nostræ insufflationis, aut pronunciationis.

CLXXXII.

Ideò nugæ sunt, quæ Gratianus de consecratione quadam magica Elementorum tradit: & iam supra ex Euangelistis monstratum fuit panem cui benedicimus sic vocari, quasi ἄρτον εὐχαριστήντα, aut quem cum gratiarum actione sumimus.

CLXXXIII.

Quod verò Ambrosius, & alij nonnulli de verbo De verbo operatorio scribunt: primùm operationem illam tri- operato- buunt verbis Christi, non nostris, aut nostræ insur- rio. rationi ad panem: Deinde ait Ambrosius, esse opera- toria, non quòd operentur, aut creent nouam sub- lib. 4. de stantiam, sed quòd conficiant Sacramentum, & vsum Sacramē panis mutant: *ut tu, inquit, postquam es consecratus, es* tis. *noua creatura* (quod certè non fit mutatione substan- tiæ) *Sic, inquit, panis consecratus, est corpus Christi:* Deinde addit: *Speciem quidem Sanguinis non vides, sed habes similitudinem, ut mortis similitudinem Christo consecratus sumisti: ita similitudinem pretiosi sanguinis bibis.* *Itē vocat illud Sacramentum figuram corporis & sanguinis Domini, qui pridie quàm pateretur, sanctis suis manibus accepit panem respexit ad cælum, benedixit, fregit fractum. que Apostolis tradidit &c.*

CLXXXIV.

Sed dici non potest, in quos labyrinthos se præcipitarint Scholastici, dum loco vnionis Sacramentalis, Transsubstantiationem, cuius Lanfrancus primus architectus, Thomas verò Aquinas defensor fuit, statuerunt.

Trāsub-
stātiatio.

CLXXXV.

li. 4. Sct.
dist. 13.

Quærit Lombardus, Si panis est per consecrationē corpus Domini realiter: an corpus à brutis animalibus sumatur: quod negat fieri Lombardus. *Quid ergo (inquit) sumit mus? vel quidnam manducat? Deus nouit* respondet Lombardus. Sorbona autem adhibuit censuram, & pronunciauit, murē comedere Christi corpus.

CLXXXVI.

Thomas Aquinas in. i. Corinth. ii. lect. ii. vbi diu sector sit, quid per pronomē, *hoc*, in verbis institutionis intelligi debeat, respondet tandem, Indeterminatā substantiam: & monstrari aliquam substantiam: quod si verum est, tunc verba Cænæ non operantur, sed monstrant Substantiam, quæ iam erat, vt cum dicitur: *Hic est filius meus dilectus*, &c.

CLXXXVII.

theol. 47.

Faceat ergo Arturus, qui Cænā reformatarum Ecclesiarum præstigiis & pugnantibus assertionibus plenam esse ait: Concludat hæc de se, & de sua Cæna, & vera dixerit.

CLXXXVIII.

Ioh. 6.

Nam quod nostros ait sub hac voce Spiritualiter tegere præstigias, non sine blasphemia ab eo dicitur: nisi Christum ipsum præstigiatores facere velit, quādo dixit: *Verba sua Spiritum esse & vitam*: sicut & pia vetustas monuit, *τὰ αἰδιῶτα αἰδιῶτως*, & *τὰ νοητὰ νοητῶς* intelligenda & percipienda esse.

CLXXXIX.

De ver-
bis Apo.
serm. 2.

Item & Augustinus: *Tunc vita erit unicuique corpus & sanguis Christi, si quod in Sacramēto visibiliter sumitur, in ipsa veritate SPIRITUALITER intellectum viuificabit.*

Vc.

CXC.

Verum enim verò ita carnalis est Arturus, vt Spiritualia pro præstigiis habeat, Fidem pro phantasia: vt denique clamet, non posse vniri, ne quidem per Fidem quæ locis disiuncta sunt: cum tamen ex Gregorio Lombardus doceat (vt supra ostendimus) oportere nos rapi in cælum, vt carni Christi, quæ ibi est localiter, vniamur. Thesi. 19

CXCI.

Iuxta hunc hominem, nec Abraham vidit diem Christi: nec sanguis Christi fusus in cruce potuit discipulis esse præsens: nec nostrum *πολίτευμα* est in cælis, nec sapere possumus, quæ sursum sunt. Philip. 3.
Coloss. 3.

CXCI.

Denique quasi planè furibundus Thesi. 50. clamat, Monstra, Monstra, contra Caluinum, quod is scripserit Arcanum Cænæ Dominicæ sublimius esse, quam vt verbis enarrari possit, nec meminit in huiusmodi mysteriis de redemptione generis humani, & nostra cū Christo coniunctione rapi subinde apostolum in talem admirationem & adorationem diuinorum arcanorum, vt Rom. II. vers. 33. & ad Ephes. 3. vers. 32.

CXCI.

Quæ porrò pro Eucharistia Pontificia vel Missa potius Idololatrica tuenda adfert, cum meræ sint rapso-
diæ millies à nostris refutatae, & Pontificiorum aberratio à doctrina Apostolica, eorumque intricatae tri-
cæ sparsim in his thesibus indicatae fuerint, in illis refutandis multùm operæ poni necesse non est.

CXCI.

Vt tamen aliquod specimen audaciæ & imperitiæ ipsius in tractandis Scripturæ locis lectoribus præbeamus: aliquot eius rationes subiiciam quas ex ipsis

Euangelistis & Apostolis se depromere fingit, vt illud suum absurdum axioma, quod toties inculcat, confirmet: CHRISTVM CORPVS SVVM IN EVCHARISTIA RELIQVISSE: cū Christus contra disertè testetur, se corporis respectu RELINQVERE MVNDVM: quod ipsum Articulus & historia ascensus in cælum euidentissimè comprobat.

C X C V.

Thef. 74 Non impossibile est, (inquit) corpus Christi esse in hostia, cū Deus possit traicere camelum per foramen acus, & ianuis clausis ingressus sit Christus ad Apostolos, & sepulcro obserato & clauso resurrexerit.

C X C V I.

O bellas ratiocinationes! quasi verò primus ille locus Matth. 19. (vbi Theophylactus *καμηλον* funem anchorarū intelligit) nō sit prouerbialis loquutio apud Iudæos de re impossibili, sicut inter alios ex Hebræorū scriptis, vir in lingua Hebræa exercitatus Caninius admonuit. Alter locus planè nihil ad rem faciat, cū ne in ipsa quidē vulgata versione dicatur, per ianuas clausas penetrasse, sed ianuis iam clausis venisse, quia nimirum, vt ibi monet Cyrillus, *Diuinitati omnia sunt peruia*: & Augustinus, *moli corporis, vbi diuinitas erat, ianua clausa non obstitere*. Ita & sepulcrū patere potuit, vel ob Terræ motū, vel quia Angelus, vt scribit Matthæus, lapidem deuoluit: *Resurgenti enim filio* (inquit Hilarius in illum locū) *virtutum caelestium ministeria mittebantur*, vt non necesse fuerit, corpus fieri aereum & omnia penetrans, vt isti noui Martionitæ volunt. Nam vt docet Cyrillus lib. 5. de Trinitate, *posse implere omnia & transire per omnia non est alteri natura, quam diuinae tribuendum*.

Pergit

CXC VII.

Pergit Arturus gnauiter esse impudens, nec dubi- Cap. 8.
 rat affirmare, Christum promississe Ioh. 6. se thes. 92.
 corpus suum verè & realiter relinquere in Eucharistia: verba
 esse manifesta: *Caro mea, quam DABO*: quasi vero,
 quam dabo, ad mortem scilicet, vt volunt Christi ver-
 ba, idem sit, ac *RELINQVAM EAM IN HO-*
S TIA, vt illud prætereamus, quod Ioh. 6. de re qui-
 dem Sacramenti, nempe de carne & sanguine Chri-
 sti: non autem de Signis Sacramentalibus: multò mi-
 nus de hostiis Pontificiis, & accidentibus sine tubic-
 to agitur.

CXC VIII.

Rursus capite nono proiicit ampullas, afferens,
 Christum corpus suum in Eucharistia reliquisse: quod
 id ipsum asseruerit, dicens: *Hoc est corpus meum*. id-
 eò tropos Sacramentariorum esse commenta. Atqui
 Tropi Scripturæ vsitati, & Tropi Sacramentales non
 sunt Commenta: Sed Tropi potius Iesuitici, qui pro
 his verbis: *Hoc est corpus meum*, hæc substituunt: Panis
 qui reuera panis est, mutatur in corpus: Item, in hostia
 relinquitur corpus: Id enim nec dixit vnquam Chri-
 stus, nec dixit D. Paulus.

CXC IX.

Rei autem corporis Christi dicuntur, qui panem 1. Corint.
 Domini edunt contra Dominum: & vt locum illum 11.
 interpretatur Ambrosius, qui beneficiū mortis Chri-
 sti irritum ducunt.

CC.

Cùm verò nesciat, quò se vertere debeat Arturus Thes.
 contra Pontificiorum morem à vulgata Latina ver- 120.
 sione confugit ad Græcum textum, vbi legatur, in
 præsentem tempore, *qui effunditur pro vobis*: vnde colli-

G

git perpetuum actum, & quotidie effundi sanguinē Christi in Missa. Si diceret, contumelia affici, rectè diceret, & si temporis enallagen non meminit in omnibus linguis esse vsitatam, meminisse debebat sanguinem Christi non posse amplius dici effundi realiter, sed Sacramentaliter, quia Christus nō amplius moritur, & ipsimet fatentur esse Sacrificium ἀναίματος.

CCI.

Vnum adhuc specimen proferam ineptiarum Arturi, qui Thesi 138. Locum Exod. 12. v. 11. Est PHASE Domini, ait, agnum ibi non dici PHASE: Sed causam reddi, cur Israelitę festinanter debeant comedere. Atqui quæritur de quo subiecto prædicetur, quod sit PHASE Domini: Certè euincit totus textus de Agno immolato: Nam etiam dicitur: *Erit sanguis ille in signum*: & similis phrasis extat apud D. Paulum. 1. Corinth. 5. vbi Christus dicitur, *Pascha nostrum pro nobis immolatum*.

CCII.

Verùm lepidus admodum est Arturus, cum ex ipso Beza suorum hominum sententiam se probare affirmat, ex Hypothesica propositione faciens Categoricalam: quod Beza alicubi scribat, si τὸ ῥητὸν esset seruandum, nec ἀγένεια verborum Cænæ examinanda, aliquid coloris habituram Transsubstantiationem.

CCIII.

Atqui fatentur ipsi Scholastici, Si corpus Christi in mortem traditum de fracto pane dicatur, & verba intelligenda, vt sonant, transsubstantiationem statui non posse: quia non dicit Christus, Hoc fiet corpus meum virtute consecrationis: Sed, Hoc est corpus meum: ita vt præsupponatur corpus, quod δεῖκτικῶς ostendatur, vt nonnulli ex ipsis volunt.

Agno

CCIV.

Agnouerūt & Scholasticorū multi, corpus de pane propriè & sine vlla interpretatione, vt disparatum de disparato, prædicari non posse. cum panis & corpus non sint eiusdem naturæ.

CCV.

Finxerunt ergò pronunciationem verborum à Sacerdote vncto ritib. Ecclesiæ Romanæ efficere, quod verba sonant, euanescente Substantia, superstitibus accidentibus, sine subiecto: contra Regulam Damasceni: *impossibili est consistere substantiam extra naturales proprietates.*

CCVI.

Atqui nihil habet Scriptura, nihil nouit vetus Ecclesia de miraculosa conuersione panis in corpus, nec vnio Sacramentalis est mutatio substantiarum, sed efficacia in Sacramentis & verbo promissionis est opus liberrimum Spiritus sancti.

CCVII.

Vt ergò olim Israelitæ Deum alligarunt ad vitulos aureos, & in Iudæa ad serpentem æneum: sic paulatim inualecente superstitione, Christi corpus ad panem fuit alligatum, nec amplius in promissionem cordibus sursum eleuatis, sed deorsum in hostiam, homines respexerunt.

CCVIII.

Et cum in vetere Ecclesia fieret commemoratio simplex mortis Christi in Synaxi, adiuncta Eucharistia, siue precibus, quibus Deo proponebatur oblatio filij eius, facta in cruce, vt per & propter illius sacrificiū esset propitijs: deinde oblationes siue eleemosynæ fierent pro pauperibus, post Augustini tempora, & ritus Sacramentales mutati fuerunt, & loco Sacramenti

partim Idolum conflatum, partim Sacramentum in sacrificium expiatorium pro viuis & mortuis mutatum est, additis superstiriosis inuocationib. sanctorū.

CC LX.

Quæ opinio annis 157. post Augustinum, circa annum 604. à Gregorio primo, qui visionibus multum indulgebat, plurimum confirmata est. Is enim, vt refert Beno Cardinalis, ieiuniū & preces suis sympresbyteris indixit, quæ de corporis Christi in Cæna præsentia per lignum à Deo possent edoceri.

CC X.

Et vt omnia postea in peius ruerent, sub Innocētio tertio, in Concilio Lateranensi circa annum 1190, Transsubstantiationis dogma inter articulos fidei relatum est: ac longè post ab Urbano quarto anno 1261 circumgestatio in pompa huius Idoli, & festum, quod vocant corporis Christi, institutum fuit.

CC XI.

Ersi verò non defuerunt viri boni & cordati, qui doctrinam Augustini de Sacramentis post eius tempora retinebant, vt Ioannes Scotus Bedæ discipulus, tempore Ludouici pij, qui cum opinionem receptam de oblatione corporis Christi in Missa reprehenderet, à discipulis graphiis confossus fuit: Item Rabanus Maurus, Bertramus & alij. vicerunt, tamen deteriora: & obtinuit sententia, quæ hominum oculos, sacrificulorum verò oculos implebat, de adoratione Idoli panacei, & expiatione peccatorum per hostiam consecratam.

CC XII.

Hæc fuit nimirum potestas tenebrarum, vt loquitur Christus: id est, concessa potestas tenebris ad lucē ad tempus premeendam. Hæc, inquam, potestas bestie
maxi-

maximam mundi partem ad Idololatriam seducen-
tis, que. nammodum prædictum fuerat Apocalyps
cap. 13.

CCXIII.

Cum ergo Missa Pontificia destruat totam rerum
naturam: Quid enim substantia corporea sine pro-
prietatibus & dimensionibus? Quid sunt accidētia se-
parata à subiecto?) euertat etiam totam rationem
Ministerij, & eius præsentia, qua Christus adest Mini-
sterio verbi & Sacramentorum: Impingat præterea
in articulos Fidei de veritate corporis Christi, quod
illi cum Vbiquitariis, quos se oppugnare simulant,
omnibus proprietatibus exuunt, & simul in locis in-
numeris esse volunt. Cum denique Missa Pontificia
nec nomen Cænæ, nec ritus, nec Sacramenti rationē,
nec veram Eucharistiam, nec fines, propter quos in-
stituta fuit, retineat, & nō sine sacrilegio populū Chri-
stianū altero signo, nēpe vsu poculi sacri spoliet: me-
ritò omnib. piis tanquam Idolum Pontificiū abomi-
nabilis esse debet: nec vim vllam habere possunt, quæ-
cunque Arturus in secunda parte suæ Disputatio-
nis pro illius Sacrificij & Idoli Missatici defensione
corradit.

CCXIV.

Nos verò pro Sacrificio reali semel peracto in cru-
ce pro nobis, & vnica illa oblatione in perpetuum
sanctificante fideles, Sacrificia laudis Deo quotidie
offerimus, & cū Christo, & Apostolo Paulo malumus
Sacram Cænam celebrare quàm commentitiis mi-
raculis, Sophismatibus & calumniis Iesuitarum, &
Deo Missarico credere, eius memores, quod Christus
monuit Matth. 24. Si quis vobis dixerit: Ecce hic
Christus, aut hic, ne credite: Surgent enim Pseudo-

christi & Pseudoprophetae & edent signa magna & miracula.

CCXV.

Interim non dubitamus, quin adsit Christus totus Ecclesiae, seruatis tamen proprietatibus naturarum, & secundum ordinem regni caelestis, & promissionem Euangelij, ac inhabitet in cordibus nostris per Fidem, ea in dies viuificet, & sustentet, donec nos translatos in regnum gloriae collocet, IBI VBI est, parans nobis locum.

FINIS.



DISPUTATIO ALTERA
CONTRA LAURENTIUM
ARTURUM OXONIENSEM:
DE

VENERATIONE SANCTORUM:

in qua eius apologia examinatur
& refellitur.

*Capita Disputationis siue Examinis
Apologia Arturiana.*

CAP. 1. De occasione, & scopo huius Disputationis cum Arturo, & nec dolosam, nec malitiosam, sed necessariam fuisse defensionem legitime Venerationis Sanctorum contra Idololatrias Arturi Theses.

CAP. 2. Falsum esse Evangelicos nullum Sanctis habere honorem: Pontificios, tum Deum, tum Sanctos inhonestare.

CAP. 3. Pontificios destitui testimoniis scripturae, & nihil ad rem facere, quae hinc inde accipit Arturus.

CAP. 4. De inanibus & ineptis effugiis, & distinctionibus Pontificiorum.

CAP. 5. De falsis Hypothesibus Pontificiorum, qualis est ratiocinatio à viuis ad mortuos, & de Cognitione animarum siue Speculo Trinitatis. cum breui refutatione aliquot calumniarum.

CAP. 6. De testimoniis Patrum, & de Vigilantio.

CAP. 7. Vltimum & inutile per fugium Pontificiorum ad nescio quae dubia miracula Sanctorum non consistente causa principali. cum Conclusionem & breui Admonitionem ad Arturum.

CAPVT I. De occasione, & scopo huius Disputationis cum Arturo, & nec dolosam, nec malitiosam, sed necessariam fuisse defensionem legitimæ Venerationis Sanctorum contra Idololatrias Arturi Theses.

Prodierunt eodem anno, nempe 84, & ex eodem solo (Anglicano nimirum) orti, licet in diuersas deportati Regiones, viri duo, eiusdem ordinis, ex Societate Iesu cognominati, Ioannes Gibbonus apud Treuiros, & Laurentius Arturus in Polonia, qui idem argumentum tractandum & euulgandum sibi proposuerunt: de Sanctorum Canonizatione, Inuocatione & Veneratione: quod argumentum ita tractarunt, vt Superstitiones Pontificias, in quas iurarunt, tueri contentur, Euangelicarum verò Ecclesiarum doctrinam, ac si hæretica esset, subinde exagitent, & traducant. Verùm cum in Arturo maiorem audaciam, & calumniandi libidinem, maioresque Spiritus deprehenderem, & ante triennium aut circiter, à nobilibus quibusdam Polonis valdè rogarer, vt quod ille contra veritatem auderet, id ego pro veritate præstarem: breui & perspicua Disputatione Doctrinam Catholicam Orthodoxam de Sanctorum Spirituum (de quibus Controuersia erat) legitima & illegitima veneratione repetij & explicauij, eamque Arturi Thesibus opposui. Et quia, vt rectè monet Cicero, *in principio, in omnibus disputationibus oportet explanetur id, de quo disputatur, ne vagari & errare cogatur oratio*: statim ab initio Disputationis nostræ ad vitandas amphibologias & liberandas nostras Ecclesias ea suspitione, quasi Sanctorum Spirituum gloriæ inuideant, honorem sanctis debitum & concessum ostendi, & ab eo, qui superstitiosus est, & quem solum repudiamus, & repudiant ipsi sancti, distinxij. *Est quippe onus non honos* (inquit

lib. 1. de
Orat.

quit ille apud Euripidem) *nimis laudari*: si scilicet Creaturas spectes. Nam Deus, qui summum est & infinitum bonum, laudari nunquam satis potest: Illi porro soli Religiosum cultum & Inuocationem Fidei conuenire & competere, non captiosis ratiunculis, non mutilis aut mendosis, sed apertis & sibi consentientibus Scripturæ locis demonstrauius: Vetusiorū etiā quorundā Ecclesiæ doctorū testimonia produximus. Epist. 3.
 ita tamen, vt iuxta Cypriani admonitionem, *Veritatis luce perspecta ad radicem atque originem traditionis Dominicæ reuerti semper oporteat. Si enim* (vt idem subiicit) *Sacerdotes Dei & Christi sumus: non inuenio, quem magis sequi quàm Deum & Christum debeamus.* Et certè, quo res quælo euaderet, si ita præcisè & sine discrimine omnia veterum instituta amplecti vellemus? Nonne pro die nostro natali sacrificia facienda essent? Nonne Eucharistia infantibus præbenda? Nonne lac, mel & butyrum ad Baptismum adhiberentur? Nonne à botulis abstinendum esset, vt alias innumeras Cere- monias prætereā, quarū apud Tertullianum & Augustinū Epistola ad Ianuarium & apud alios sit mentio?

Altera porro Thesium nostrarum pars in examinandis & refutandis nonnullis rationibus Arturi consumpta fuit, quæ etsi rancidæ sunt, & ad quarum pleraque Gibbonus ipse agnoscit nostros respondisse: volui tamen, si quæ speciosiores videbantur, eas excutere sed breuiter & Dialecticè, vt instituti mei ratio & Disputandi in scholis consuetudo postulabat: Nam & breuitate & simplicitate gaudet veritas: & ex illa argumentorum breui collatione & quasi conflictu magis elucescit, quid in quaque oratione verum, quid falsum subsit. Quid verò ad illa nostra Arturus? Ad primatem, primūque (vt eum vocat) Regni Poloniæ

Principem confugit: clamat indignū esse facinus suos: Commentariolos, ne multis prodesse possint, exagitari: Sadeelē (qui vel ipsum contēsit, vel alibi, nēpe in Aquitania cū Burdegalensib. Monachis, scriptis eruditis fortiter depugnabat) iam à se debellatū, sibi tanquam Polynices alter imaginatur: Tossanum superesse refutandum. Deforme est (ô Laurenti) de se ipso prædicare, falsa præsertim, & cum irratione audientiū imitari militem gloriosum. Sed vide ingenuitatem hominis, & quidem Regni Poloniæ primatem compellantis: An vel illum vel lectores tam hebetes putat, vt eis persuadeat, palmā in medio non esse positā & nobis non licere hircere cōtra istos gigantes? An nobis, inquam, pro veritate, pro nostris Ecclesiis, pro ea, quam nostri vsque ad durissima martyria professi sunt, doctrina, dicere & respondere non liceat? An illa sibi consentiunt: Tossanum (quod toties inculcat) attulisse nihil: dixisse nihil: Arturi Theses vix attigisse: Tossani Theses Refutatione vix indigere: & interim Primatis Regni Poloniæ quærere patrocinium: Tanto præsuli & principi Apologiam inscribere: cap. 4. 5. 6. Apologiæ, & alibi in Tossani argumentis refutandis sudare: classes aliquot argumentorum enumerare? At non semper insistit vestigijs Arturi Tossanus, nec ad singula respondet? An ideo, obsecro, dolosè & malitiosè egisse habebitur, si quæ extra controuersiam sunt, prætermittit: quæ vel confusè ponuntur, vel sæpius repetuntur (qualibus tautologiis Apologia quoque plena est) contrahit? & ad certa capita reuocat, sicut rursus in hoc nostro Examine factum est: Si ad ea, quæ nihil sunt, & nullius momenti, respondet nihil: Si nonnulla Doctorū aliquot dicta hinc inde corrasa veritati manifesta, &

sta, & ex Scripturis depromptæ præiudicare nihil sen-
 tit? *Dolum malum*, scribit Cicero, *Simulatione & dissi-*
mulatione contineri. Quid à nobis, quaeso, contra Artu-
 rum simulatum, quid dissimulatum fuit? Imò quid
 toto illo capite primo, quo dolosè & malitiosè suas
 Theses oppugnatas fuisse queritur, dolosi profert?
 quid malitiosi? Elogium scilicet Vbiquitariorum ali-
 quot, qui Tossanū perfidiosum Calvinistā in nescio
 quo scripto contra Bellarminū & Hansonū nuncupa-
 rint. Quasi verò conditio testium non sit exploranda
 vel conuiciari sufficiat: aut dedecori sit eos habere
 inimicos, qui doctrinæ de persona Christi, & de my-
 steriis, imò toti Ecclesiæ Orthodoxæ & propriis præ-
 ceptoribus bellum indixerunt? Venio ad alia ingenui-
 tatis Arturiana argumenta: Extorsit ei veritas, extor-
 serunt nostræ rationes, Sanctorum inuocationem nō
 esse omninò necessariam. Quare igitur ille pro ea tan-
 to conatu quasi pro aris & focus dimicat? Quare ei sūt
 hæretici, qui eā omittere putant? Sed audiamus, quā
 ingenuè agat Arturus! Totius Apologiæ ipsius em-
 blemata, sunt conuitia: Tossanū mentiri, stupidū, im-
 peritū, insulsum esse: Nos Lutheri & Caluini esse mā-
 cipia: & alia huiusmodi, quæ transfugæ Oxoniēsi sug-
 gerit splendida bilis. Et hæc illi dicere sufficit: nec vi-
 det miser in Thesib. meis ne apicē quidē ex Lutheri vel
 Caluini testimoniis desumi: ex Scripturis manifestis
 omnia probari: & audet Polynices iste pag. 72. *Hoc Hæ-*
reticorū propriū affirmare, Scriptū non est: cū sit dictū Cle-
mentis Alexandrini: ἀπεργεσθὲς μηδὲν λεκτέον: & hæ-
reticorū propriū sit potius deprauare Scripturas, vel
syllabas in Scripturis aucupari, vt Arriani faciebant:
qui cum sana dogmata in Scripturis eis ab ortho-
doxis monstrarentur, in syllabis & vocibus hære-

lib. 3. Of-
fic.cap. 5. A-
polog.Hilar. li.
4. de Tri-
nit. & ad
constan-
tium.

bant. Hæc est scilicet ingenuitas Arturiana, quam in huius Disputationis progressu plenius, Deo volente, candidis & ingenuis lectoribus patefaciemus. Retorqueat igitur in se Arturus, quæ de aliorum dolo malo, quæ de captiosis ratiunculis obiicit, & verum dixerit. Prudentes certè lectores ex vtriusque scripti collatione (vt spero) deprehendent, de Iesuitarum magnificis & ampullatis verbis dici posse, quod de talibus Phocion dicere solebat, Cupressis nimirum esse similes, quæ sublimes cum sint, & pulchræ, fructum non habent.

CAP. 2. Falsum esse Evangelicos nullum Sanctis habere honorem: Pontificios, tum Deum, tum Sanctos inhonestare.

In partit.

Orat.

Prudenter illud inter alia à Cicerone dictum est: *Superstitionem imitari Religionem: concertationem captationemque verborum imitari disputandi prudentiam.* Ad si vnquam deprehensum fuit, in Arturo deprehenditur, qui pro Religione superstitiones, pro solidis argumentationibus sophismata proponit. Quis enim ex nostris vnquam Sanctos (vt ille vult) vel contumelia affecit, vel ab eorum commemoratione abhorruit? Nonne id statim in Thesum nostrarum vestibulo præcauimus, ne vlla talis suspitio in nos caderet? Nonne honorem sanctis tribuendum professi sumus, sed qualis eis competit, & quale. n ipsi ferre possint, & qui verus sit honos non autem in Deum & in Sanctos contumelia? Quid igitur Arturus? Atqui, inquit, cap. 2. meæ disputationis, iniuriola verba, & conuicia vestrorum citavi, quæ in Sanctos iaciunt, quos, Deos fictitios, quos Laruas & spectra nuncupant, quorum sepulchra violant, ossa cremant. ô egregiū Argumentatorem: qui de Sãctis dici colligit, quod nostri de Laruis, aut

aut Diis fictitiis dicunt. Larvas enim & Deos fictitios, non enim vero Sanctos ipsos vocant, sed Pontificiorū falsas hypotheses, & cultus superstitiosos, qui contra Scripturam creaturis tribuuntur: potestatem etiam Diuinam, quam eis Deus non communicat: illi verò in sanctos transcribunt: Item nonnullos ex iis Sanctis, de quibus nulla testimonia, nullæ Historiæ extant, nisi in Legendis, quarum multæ tot absurditatibus plenæ sunt, vt Claudius Eipencæus, primarius olim Sorbonicæ Theologiæ Doctor, ferreas, nō aureas legendas, & aniles fabulas pro concione publica Lutetiæ vocarit. De Sepulchris violatis aut ossibus crematis non est quod Euangelicis Theologis litem moueat, sed effrenibus militibus vtriusque partis, à quibus talia fortasse nonnullis in locis, in quibus inter arma leges filebant, patrata fuere. Sed quid si in illis sepulchris pro ossibus martyrum, vel Sanctorum, ossa aliquando immanium ferarum inuenta fuere? Quid si Arturum, & Monachos, ac Doctores Pontificios in ius vocemus, qui tot virorum Sanctorum, nomen Christi constanter inuocantium, & doctrinam Symbolorum Ecclesiæ agnoscentium corpora & ossa crudeliter cremanda curarunt: & spectatores se non solum tacitos, sed & morientibus sanctis petulanter insultantes præbuerunt? Verū instat Arturus, & probare conatur, Honorem, quem initio statim mearum Thesiū Sanctis tribuimus, nullum esse honorem: nec plus eis tribui, quàm ipsis sceleratis hominib. ô vocem effronte Monacho dignam! Sic enim nos Thesi nostra 8. & 9. *Nihil eius cultus, qui vel Dei proprius est, vel Christo ratione officij debetur, Creaturis sine Idololatria & contumelia Domini exhiberi potest. Beatorum verò Spirituum, qui in celo sunt apud Dominum, veneratio legitima in eo consistit,*



ut eximia & distincta dona, quae in ipsis fuerunt, sufficia-
 mus: Fidem & constantiam eorum, ceterasque virtutes
 praedicemus, & imitandas nobis proponamus: propositum
 nobis stadium decurrentes, donec ad illum conuentum bea-
 torum Spirituum perueniamus. &c. An haec, quae so, de
 sceleratis, an de quavis hominum fece praedicari pos-
 sunt? Eos esse in caelis: eorum fidem, pietatem, con-
 constantiam in terris, gemmarum instar falsisse, &
 nobis pra luxisse: eorum dona, virtutes praedicandas,
 commemorandas: Eorum vestigijs insistendum ijs,
 qui cum ijs coronari velint? Nonne id ipsum nobis-
 cum monent synceriores illi & vetusti patres, ac Ec-
 clesiae Doctores? Ambrosius: *Imitemur* (inquit)
Sanctorum patientiam, & cognoscamus, illos non natu-
re praestantioris fuisse: sed obseruantiae maioris: nec vitia
nescisse, sed emendasse: Et Chrylost. *Quae est ista iustitia,*
Sanctos colere, & Sanctitatem contemnere? Et Augnsti-
 nus: *Excellentes viros honore afficiendos ait imitationis*
causa. Caeterum principium petit (vt in scholis lo-
 qui solemus) Arturus, quando statuit, legitimo ho-
 nore fraudari Sanctos, si non inuocentur, & eorum
 exuuiarum, quas Reliquias nuncupat, non religiosè co-
 lantur. Nam neque viuis, quorum multi sunt San-
 cti in terris, neque mortuis, siue Spiritibus, qui in
 coelo sunt, talis honor vel debetur, vel vsquam in
 Scripturis praescribitur aut praestatur. Et malum
 omnino Dialecticum ac peiore. n Theologum agit
 Arturus pag. ii. dum argumentum hoc nostrum in-
 firmare vult: ac si ab auctoritate Negatiuè colligere
 non liceret. *Qui honos in Scripturis non tribuitur San-*
ctis. sed repudiatur potius, non est ipsis tribuendus: Honor
Inuocationis & cultus Reliquiarum non praescribitur, sed po-
tius repudiatur & prohibetur. Ergo illicitus est & illegiti-
mus.

lib. de Io-
seph.

In Mat-
thæum.
De vera
Relig.
c ap. 25.

mus. Habet enim illud argumentū non solū negationē, verū & affirmationē: quemadmodū agnoscit ipse Arturus, nos loca produxisse, quibus repudiatur talis cultus & honos: & ex quibus hæc affirmatiua extruitur: Omnis cultus, quem Scriptura damnat aut prohibet, est vituperandus: Religiosum cultum, & Invocationem creaturarum prohibet. Ergo merito ab Euangelicis vituperatur. præterea non ignotum esse debuit tanto Censori argumentum ab auctoritate Diuina valere affirmatiuè, & negatiuè: Nam & Christus contra Diabolum ita concludit Matth. cap. 4. Scriptum est, *non tentabis Dominum Deum tuum*: Ergo de pinnis templi me præcipitare non debeo: & Iustinus Martyr. Spiritus Sanctus à Dauide & Paulo non numeratur inter Creaturas: Ergo non est Creatura. Sed. benè se habet, quod pag. 11. fatetur, de Reliquiarum Iacobi, Stephani, & aliorum martyrum veneratione nihil extare in Sacris: vnde manifestè sequitur, illam Venerationem esse *ἑτεροθρησκείαν*, & hac in parte admonitionem illam Iehouæ ad Pontificios pertinere Esai: 29. *Frustra me colunt, docentes doctrinas, que sunt mandata hominum*: vt nihil de Reliquiarum vanitate & incertitudine dicam. de quibus multæ ciuitates certant, sibi persuadentes singulæ, se has vel illas exuias habere: Imo sibi persuadent non pauca, se eorum ossa recondita in monumentis habere, quorum corpora vsque ad ossa consumpta fuisse Historia Ecclesiastica testatur, quemadmodum ex notissimis nostri temporis Historiis demonstrauit Calvinus in Tractatu de Reliquiis in Inuentarium redigendis: Nec certè de exuijs Sanctorum colendis aut circumgestandis, sed illis in terram condendis, vt

iuxta conditionē omniū mortaliū in puluerē reuertā-
tur, & expulvere resurrectionē expectēt, Scriptura lo-
quitur: quod posteaquam 2. Corinth. 5. prolixè docuit
Apostolus, subiicit: *Itaq; nos posthac neminē nouimus secū-
dū carnem.* nempe omniū rerū externarū, (inter quas
numerari potest ossium & exuuiarū cultus) respectu.
Si quis igitur est in Christo, noua est Creatura. &c. verum
audiamus, quid ad nostrum illum syllogismum affir-
matiuum respondeat Arturus: Assumptionem negat:
Religiosum videlicet cultum Creaturarum & earum
Inuocationem prohiberi. Actorum enim 14. Paulū
& Barnabam non simpliciter repudiasse cultum Re-
ligiosum, sed ne sibi Lycaones tanquam Dijs sacra fa-
cerent: pontificios autem nec sacrificia, nec cultum
falsorum Deorum Sanctis tribuere. Respondeo, me-
ram esse petitionem principij. Quia Lycaones dam-
nantur Idololatriæ, non solum propter sacrificia Gē-
tilitia, sed quòd Apostolos homines *ὁμοιωθεῖς* cole-
rent, nec cultum suum ad vnum illum Deum viuum,
qui fecit cælum & terram, dirigerent. Deinde cū con-
stet Sacrificia laudis & preces, esse Christianorum sa-
crificia, nonne sacrificant Sanctis, qui eos inuocant?
vt iam de peculiaribus Missis, certis Sanctis in Papatu
destinatis, nihil dicamus.

Sic porrò instat Arturus. D. Paulus repudiare non
potuit, quod alibi admisit: Atqui Actor. 16. v. 29. car-
ceris custodem ad pedes sibi accidentem non repre-
hendit. Ergò cultum religiosum nunquam simplici-
ter repudiauit. Respondemus, plus esse in conclusio-
ne, quàm in præmissis, & Arturum Sophistarum mo-
re *μεταβαίνειν εἰς ἄλλο γένος*. Disceptamus enim de cul-
tu Religioso: Ille exemplum profert cultus ciuilis:
Paulus ergò custodem non reprehendit, quem atto-
nitum

nitum, & metu Diuini iudicij percussus videbat, & quia Romanis aliisque gentibus multis solenne esse sciebat, cum aliquid submissè petere vellent etiam in ciuilibus, vt ad genua procumberent: vide Genes. cap. 23 v. 12. Quotiescunque verò Apostoli religiosum cultum sibi exhiberi animaduertent, cum nunquam tulerunt. Ideò occurrentem sibi Cornelium, & ad pedes accidentem, ac adorantem, erexit Petrus, addita hac ratione, cur talis cultus ipsi non deberetur: *Surge: & ego ipse homo sum: vt errorem ei eriperet, qui Diuinum nescio quid in eo esse putabat: quod cum diffiteri non possit Arturus, qua fronte Religiosum cultum Creaturis delatum defendit, cum manifestum sit per talem cultum in animis vulgi illam omninò opinionem relinqui, nescio quid Diuinum in Creaturis esse: quas etiam hoc nomine pro patronis ciuitatum, pagorum, nauium, opificiorum habet vulgus & veneratur. Eiusdem frontis est, quod Angelum ait, non simpliciter recusasse oblatum à D. Ioanne honorem, sed ob temporis circumstantiam: quod videlicet posteaquam Filius Dei Homo factus est, Angelicò pluris genus humanum faciant, & in admiratione habeant. Ob bellam exceptionem, & fallaciam potius causæ non causæ. Sed primùm quærimus ex Arturo, quare igitur in Papatu post Filij Dei incarnationem Angelis cultum deferant, quem illi, tanquam nostri Ministri, & eò inferiores, quòd naturam eorum non assumpsit Dei filius, repudiant & auersantur: imò ab ipsis Ecclesia honoratur, vt scribit Gregorius in Cantica. i. 8. Deinde monemus illum, vt in ipso textu Iohannis veram causam recusationis illius cultus inspiciat: quando ait Angelus: *Vide ne feceris: Conseruus uus sum, Deum adora:* quasi dicat, Seruo & Creaturæ*

Act. 10.

Apocaly.

22.

sine grandi peccato tribui non potest, quod Domino
 & Creatori debetur: iuxta illud expressissimū man-
 datum: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruias.*
 Verum enim verò, inquit Arturus, non est verisimile
 Angelos simpliciter repudiare talem cultum, quem
 olim in vetere Testamento admiserunt. Respondeo:
 hinc meram esse petitionem principij: Nam nihil tale
 indicant loca, quæ profert: siquidem Abraham Ge-
 nes. 18. nescius Angelos excepit, vt habetur ad Hebr.
 13. & incuruauit se coram tribus illis, quos tres viros
 esse putabat, vers. 2. exhibens honorem, qui ciuilibiter
 hominibus honore dignis exhiberi solebat. Et vt ma-
 ximè id largiremur Arturo cultum religiosum illis
 Angelis oblatum, non valeret eius ratiocinatio de
 cultu Creaturarum, quia vnus ex illis Angelis vo-
 catur Iehoua v. 26. Angelus ille nimirum fœderis, qui
 est æternus Dei filius, cum patre & Spiritu S. glori-
 ficandus & adorandus. Talis quoque Angelus fuit,
 qui Mosi in flamma ignis apparuit Exod. 3. quem
 paulò post Moses ipse, Deum & Iehouam nominat,
 vt mirum sit, in tanta luce velle Arturum nobis of-
 fundere tenebras, & talia loca ad suas superstitiones
 tuendas detorquere: ita vt non immeritò me in The-
 sibus meis ræduerit, singula eius allegata tam insulsa,
 tam aliena, quibus suam Disputationem infarcire vo-
 luit, saltem ne nihil ex Scripturis depromere videre-
 tur, persequi, quam tamen necessitatem, monst-
 ranti scilicet Solem, cæci huius Doctoris arrogantia,
 qui nihil sibi responsum fuisse clamat, nobis quo-
 dam modo imponit: Et nã hoc illi libens concedo,
 me nihil ei respondere, sed respondentem pro me ha-
 bere Scripturam, quæ seipsum interpretatur, & cuius
 auctoritate potius, quàm humana niti nos dect:
 Ariu-

Arturus pro sua Magistrali præ eminentia omnia despiciat, & flocci faciat. Ita etiam eludit locum Diui Pauli Coloss. 3. de subiectione & cultu Angelorum, quem prætextu Religionis nonnulli inueniunt sine ratione turgentes carnis suæ sensu: Id (inquit) de iistantum intelligit Apostolus qui Christo relicto, Angelorum cultui se tradunt: in qua hæresi fuit Simon Magus: Atqui non hîc quæritur, an Christus relinquatur, vel non relinquatur: sed an socios possit ferre cultus Religiosi. Nam & illi acriter reprehendebantur, Sophoniæ. 1. qui incuruantes se iurabant simul per Iehouam, & per Melecum suum. Sed audiat Arturus, quid Ambrosius in illum locum ad Coloss. scribat: *Quod superius sub nomine Philosophie cauendum monuit, nunc apertius docet obseruandum ab his, qui terrena sapientie studentes hæc colenda asserunt, que obtutibus adiacent, vel apparent, ut horum detenta culturis anima sub firmamento obligata teneantur, ne se supra firmamentum tendant ad superiores celos, ad Deum omnium adorandum. Quod opera efficitur inimici, ut semper animas super terras humiliatas detineat, Religionem simulans, cum sit maximum sacrilegium, &c.* Etsi verò Angelicorum Hæreticorum, qui & ab Epiphanio & Augustino sic nominantur, variæ fuerunt superstitiones, quas inter alios refutat Theodoretus in Epitome diuinorū Decretorū, capite de Angelis: sic tamen in genere vocabantur, qui in Angelorū cultū inclinabant, siue Christū excluderēt, siue coniūgerent: & diserte scribit Theodoretus, nos didicisse ex Scripturis, non quidē inuocationē Sāctorū, sed eos nobiscum benedicere Deo, & eos esse creatos, sicut Apost. ad Coloss. 1. ut obuiā iret cultib. Angelorū, diserte & accuratè docet. Et memorabile est, q̄

cap. 5. Apolog. p. 64.

Augusti. c. 39. de Hæresib. Epitom. in Diuididicisse ex Scripturis, non quidē inuocationē Sāctorū, sed eos nobiscum benedicere Deo, & eos esse creatos, sicut Apost. ad Coloss. 1. ut obuiā iret cultib. Angelorū, diserte & accuratè docet. Et memorabile est, q̄



scribit Augustinus contra Faustum Manich. lib. 22. c. 17. Mali angeli, quòd vni Deo deberi nouerant, hoc sibi à suis cultoribus exegerunt: maximè cū ex desiderio mortuorum constituerentur imagines: vnde simulacrorum vsus exortus, & maiore adulatione Diuini honores delati.

Venio ad locum Deuteronomij 18. quem etiam pro confirmatione nostræ assumptionis de prohibita mortuorū sanctorum compellatione inter alia produximus: quandoquidem ibi consulentes mortuos damnantur: Hic verò suo more sophisticatur Arturus: Sancti (inquit) non sunt mortui solùm: Sed viuūt Deo beati & felices: Atqui nobis & respectu huius Mundi mortui sunt, & simpliciter negat Scriptura, mortuos cōsulendos non autē mortuos tantū in suis peccatis, vt vult hic Sophista: At reprehendūtur ibi abominations gentium, & Necromantiæ. Respōdeo: Ideò turpe est Christianos tales abominations, licet permutatis nominib. imitari: & deberet meritò Arturū peccellere vox illa Dei grauissima, v. 20. eiusdē capituli: *Propheta ille qui sibi arrogauerit eloqui aliquid in nomine meo quod nō praecepero ei eloqui, omninò morietur propheta ille* Tandē ad sepulchrū Mosis descendit Arturus, ex quo vix se euoluere potest: Absconditum fuisse ait, cadauer Mosis, quòd populus Iudaicus ad Idololatriā ita pronus esset, vt serpentes adoraret: Aliā esse cōditionē populi Christiani, à quo Diuini honores, reliquiis & Sanctis non deferantur, cū potius omnem Idololatriam detestetur. Magnifica certè vox, sed vox tantūm vt de lusciniā olim aliquis dixit. Nam vnde habet Arturus, solum Israeliticum populum ad Idololatriam propensum fuisse à Christianis ab Idololatria non metuendum? An ergo prior tabula, & nouae sunt

sunt appendices prioris tabulæ, ad solos Iudæos spectant? An frustra monuit D. Iohannes Christianos sui temporis: *Filioli caute vobis ab Idolis.*

1. Ioan. 5.

Et quinam, Arture, sunt Diuini, quos vocas, Honores, & quos tu Deo, vel quos eius vnigenito filio relinquis: si fiduciam, si religiosam inuocationem, si spem, si templa, si altaria Creaturis tribuere, ponere, extruere, si eorum meritis niti licet? Quomodo Idololatriam quæso definis? an gentilitium tantum Idolorum cultum? Nonne Idololatræ sunt, quicunque aliquid præter Deum Viuum & solum omnipotentem, & verè erga nos beneficum fingunt, siue sint angeli, siue homines, siue aurum & argentum, vt auari, in quo acquiescant, vnde pendeant, quò in omnibus suis calamitatibus confugiant: Nec ita euadunt Pontificij, quando se aiunt Deum summum datorem eorum donorum agnoscere, quæ in sanctos collata sunt: Idem enim Ethnici de suo Ioue, quem & datorem bonorum, & reliquorum Deorum patrem sæpe Ethnici Poetæ appellant. Vnus ille vult non verbis solum agnosci, sed re ipsa coli: nec eminentiam gloriæ suæ (quæ est in eo sita, vt omnia possit, omnia videat, omnibus possit opem ferre) Creaturis concedit *non quod inuidus sit* (inquit Cyrillus contra Iulian. lib. 1. *sed quod natura eorum quæ facta sunt, ad Diuinam dignitatem nunquam pertingit.* Et In commentariis in Iohann. lib. 9. cap. 41. Cùm filius Dei sit natura Christus, & multis demonstratum, *non minus sic demonstratur quia orationes sanctorum suscipit, & largitur quæ petimus.* Pudeat igitur Arturum superstitosum illum & sacrilegum honorem Creaturis tribuere: pudeat tam manifestis Scripturæ, & huic consentientibus testimoniis patrum nescio quæ hinc inde corrasa ἀτοπα, vel miracula ad tumulos Esaiæ, Eze-



chielis, Ieremiæ edita, de quibus nullus apex in Bibliis opponere. Locum profert suspectum ex Ambrosio, libello de viduis: vbi scribatur, *obsecrandos Angelos pro nobis qui nobis ad presidium dati sunt, Martyres obsecrandos?* Sed quale ἄτονον, imò qualis blasphemia in Dei filiū ibidem postea subiicitur? *Possunt Martyres pro peccatis nostris rogari qui proprio sanguine etiam, si qua habuerunt peccata, lauerunt.* Hæc certè cum aliis dictis Ambrosij non consentiunt: nec cum iis ipsis, quæ ibidem sequuntur: *Sed ad propositum* inquit (nimirum post digressionem aut additamentum alicuius Monachi) *revertamur. Rogatur hic medicus Christus: ne timeas, quia magnus est Dominus, & fortasse ad egram nō dignatur venire: Venit ad nos sepe de celo, non ad diuites solum, sed & ad pauperes. Solus mentis & animi potest seruare munditiam, qui ei Sacerdoti se nouit offerre, quem pro peccatis nostris accepimus aduocatū, illū, cui dicitur: Tu es Sacerdos in æternum.* Sed quid euidentius loco illo verè ἕνωσις Ambrosij in 1. ad Romanos: Si iure damnatur vt reus maiestatis, qui honorificentiam Regis Comiti vendicet, An nō putant isti reos, qui honorem nominis Dei deferunt Creaturis. Nam ideo ad Regem per tribunos aut Comites itur, quia homo utique est rex: & nescit, quibus debeat Rempub. credere. Ad Deum autem, quem omnino nihil latet, ad promerendum suffragatore opus non est, sed mente deuota: Vbicunque enim talis loquutus fuerit ei, respondebit: Item Tractat. de Isaaco, & anima c. 8. Christus est os nostrū per quem alloquimur patrē, est oculus noster, per quē videmus patrem: manus, per quā offerimus nos patri. Valeāt itaque Deo & Sanctis abominabiles illi cultus, illæq; voces Pontificiorum, quas Arturus excusans pag. 55. magis

magis pias quam prudentes esse dicit: cum palam in templis boant, *Virgo roga patrem iube natum: iure matris impera: o imprudentem, imò impiam pietatem.* Talis blasphemia, atque etiam horribilior inuenitur apud Scholasticæ Theologiæ præcipuum magistrum Gabrielem Biel lect. 80. exposit. Canonis Missæ: *Pater celestis dedit dimidium regni sui Virgini Mariae Regine celi: & licet sibi iustitiam reseruauerit, Misericordiam matri concessit:* At qui (inquit Eckius) Honor, qui Virgini tribuitur, redundat in filium: vt qui filium honorat, honorat & patrem: o egregiã rationem! Ergone Maria Patri & Filio est ὁμοῶς: vel an est illa mater Iesu, respectu eius naturæ, quæ vna adoratione conglorificatur, patris, videlicet filij & spiritus S. o imperitiam, o audaciam, o honorem præposterum, & à virgine ipsa in Cantico refutatam.

CAP. 3. Pontificios destitui testimoniis scripturæ, & nihil ad rem facere, quæ hinc inde arripit Arturus.

Verissimè olim scripsit B. Hilarius, omnes Hæreticos Scripturas sine sensu loqui: fidem sine Fide prætereendere. Scripturas eaim non vt legantur solùm, sed vt intelligantur, requirere: quod ipsum admonuit cõtra Sadducæos Dominus & seruator Iesu: *Erratis nescientes Scripturas neque potestatem Dei.* Contra Const. Aug. Matt. 22.

Etsi igitur Arturus Hæreticorum proprium esse putat nulla admittere dogmata, quæ expressis Scripturæ testimoniis non nitantur: ne tamen palam prophanus habeatur si Scripturam contemneret, nescio quid sparsim tum in Thesibus tum in Apologia ex Scripturis eruere conatur, sed tam trepidè, tam intempestiuè, vt quiuis mediocriter in scripturis versatus, in hoc Arturo non

Theologum, sed vrsus sãuis vnguibus loca scripturæ discerpentem agnoscat. Verũ vt id lectoribus manifestum fiat iuxta sacrorum Librorum ordinem non iuxta confusas & sparsas Arturi allegationes, loca illa examinabimus.

Primus verò locus, quem ex veteri Testamento pro Sanctorum defunctorum inuocatione, post Eekium & alios suos gregales citauerat Arturus, ex capite 48. Geneseos desumptus fuit, vbi patriarcha Iacob de Iosephi filiis ait, iuxta Santis Pagnini Monachi versionem, & iuxta Hebraicam veritatem: *Vocetur in eis nomen meum, & nomen patrum meorum.* quem locũ ad mortuorum inuocationem nihil facere & Arturum scripturam sine sensu proferre tum ex phrasi, tũ ex aliorum locorum collatione, tum ex recepta Pontificiorum de limbo patrum sententia, in nostris The-sibus demonstraui-mus. Quid ergo in Apologia causatur Arturus? Trita hæc esse ait, & ab Oecolampadio depromta: se Hebraicam dictionem non curare: (& per consequens, nec Santem monachum, nec Vatablum Sacerdotem, quos ego ei opposui, non Oecolampadiũ) alibi aliter accipi illam phrasin, vt Daniel. 9. *Vide ciuitatem super quam inuocatum est nomen tuum:* Quasi verò sit eadem phrasis, & eodem redeant Dei Inuocatio, & Creaturarum: & diuersæ plarè non sint locorum illorum circumstantiæ. Quid quod præter Apolog. receptam Pontificiorum sententiam affirmat Sanctos in limbo inuocatos fuisse, quos Thomas Aquinas ante Christi aduentum dolorem passos in Inferno scribit. Nec Arturum iuuat, sed hominis vel imperitiam, vel malitiam arguit, quod de interpretatione Augustini gloriatur, qui lib. 1, Locutionum de Genesi verba illa Iacobi de Inuocatione Sanctorum intelligi velit

Cap. 7.
Apolog.

3. Summa
quæst. 52.
Art. 2.

velit. Atqui nihil tale in Augustino: verum hoc vno verbo notandum ait: *Exauditionem, & Inuocationem, non solum de rebus. quæ Dei sunt, sed & quæ hominum sunt, predicari:* quod nostram sententiam confirmat, quia ibi agi dicimus non de cultu aliquo religioso, verum de familia patriarcharum, in qua filios Iosephi cense-ri vult, vt omnes eruditi interpretes Bibliorum inter Pōtificios ipsos agnoscūt. Nec Chrylostomus ad Inuo- cationem Patrum mortuorum locum illum refert, imò in illa verba sic scribit: *Vide modestiam: quia nusquā sua virtutis meminit: sed probate patrum vitæ, & benefi- ciorum in se collatorum filios admonet.*

Valde autem insullus est Arturus, qui de loco quo- dam Iobi, à nobis præterito, à se verò in prima acie constituto, & primo loco profuso arroganter gloria- tur: nec videt, dum nos vrget, vt ad singula respon- deamus, ineptam eius garrulitatem, & in Scripturis applicandis imperitiam magis ac magis detegi. Ve- rum enim verò audiamus quodnam sit illud luculen- tum testimonium pro inuocatione Sanctorum. Iobi nimirum 5. & 19. Primùm sunt verba Eliphaz homi- nis ab Ecclesia alieni. Deinde hæc sunt eius verba: quæ citat Arturus ex cap. 5. v. 1. *Voca: si est, qui tibi respondeat, & ad aliquem Sanctorum conuertere:* Id est, interprete Arturo: Inuoca sãctos mortuos: Cui admonitioni ait Iobum obtemperasse cap. 19. v. 21. quando exclamat: *Miseremini mei ô amici:* id est, iuxta Arturum, Sancti mortui: ô inuictum argumentum pro inuocatione defunctorum. Herbulam tibi fortè præberem Lau- renti, nisi à te dissentiret magnus tuus Gregorius lib. 14. in Iob. qui plus habuit cerebri, & dexteritatis, quã tu, in locis Scripturæ explicandis: Sic autem ille: *Ma- ius precari Iob, quàm irasci, vt placet inimicos: Ecce eos, &*

quibus se per contumelias affligi considerat, amicos vocat: quia bonis etiam sunt prospera, quæ videntur aduersa. At, inquit Arturus, Augustinus in Annotationibus in Iobum, locum illum de inuocatione Angelorum, vel Sanctorum accipere videtur. An verò Arturo non venit in mentem, quid de illis ipsis Annotationibus scribat idem Augustinus lib. 2. Retract. cap. 13. *Annotationes in Iobum, utrum mea habenda sint: an eorum, qui ut potuerunt & voluerunt, sic redegerunt, non facile dixerim: Vellem (inquit) non editum opus.*

Cumulat præterea aliquot loca Arturus, vel potius exscribit ex alijs, quos iam milles nostri refutarunt: ut locum Psal. 132. Memento Iehoua Davidis cum tota afflictione eius: Item, propter Davidem seruum tuum ne auertas faciem victi tui. Sed quid ille locus ad Inuocationem mortuorum: cum eruditiores *ἐκ τῶν* illum Psalmum à Dauide conscriptum putent, quando arcam Dei ducturus Ierosolymam vota sua Deo exponit, & se exaudiri petit non respectu meritorum: vel intercessionis post mortem: sed propter promissionem de Messia. Et sic ipse Augustinus in illum Psalmum: *Ad quid petit Deum meminisse Davidis? ut nimirum impleat, quod vouerat de templo. Nemo enim de suis viribus quid præsumat: ita & Psal. 89. ad Dei foedus & promissionem, non autem ad Davidis merita, vel intercessionem prouocatur, vers. 4. 36. 50. quemadmodum & Exod. 32. ubi orat Moses, ut Deus recorderetur, Abrahami, Isaaci, & Israëlitis, seruatorum suorum: quid eis iurauerit & promiserit quid hoc ad mortuorum intercessionem? & quæ hæc est ignoratio Elenchi, vel quæ collectio? Moses orat ut Deus præstet, quæ gratis promisit Patribus, de conseruatione Ecclesiæ & seminis eorū, Ergo niti-*
tur.

tur Moses intercessione & meritis Sanctorū. Planè contrarium testatur luculentus ille locus Esa. 63. Tu Deus Pateres noster, licet Abraham non cognoscat nos, Israel nesciat nos.

Vt verò gnauiter se impudentē esse ostendat Arsurus, nō minus est audax in detorquendis in alienū aēsū locis N. Testamēti, quàm Veteris, nec minus cōfusus: iā ex Apocal. iā ex Euāgelist. am ex D. Paulo aliquid arripiens, & nusquā figens pedē: Nos ordinē librorū Scripturæ sequemur. Proficitur hic homo capite 10. Apologiæ, se firma habere loca ex Scripturis, quib euincat Sanctos in cœlis degentes nostros esse Patronos & defensores: Paulo post, Scripturæ diffidens (quā miserabiliter hic vrsus lacerat) ait, *Patrum aliquot testimonia abunde sufficere, vt Sanctorum Patrocinia astruant ἀποδείκνυσις, etiamsi aliud præterea nihil in Diuinis literis perspicuū ac manifestū inueniatur: ô hominē sibi malè conticiū! ô miserum Den. ôstratorem Theologū, qui alūde, quàm ex Scripturis Den. onstrationes extrure nititur. Et certè quid miser præsidij habet in ijs, quæ quasi obiter ex Scripturis aspergit? Quid ex loco Matth. 19. Apostoli iudicabunt duodecim tribus Israël: Item, hæreditate possidebunt terram: Item Luc. 19. Seruis fidis promittitur ciuitatum administratio à Domino: Item Matth. 24. Seruus prudens super omnia bona constituetur. Ergo Sancti mortui sunt Patroni nostri, & Societatem habent cum officio Christi: quod non sine blasphemia concludit pag. 118. & interim extra se positus nobis insaniam, & ingentem blasphemiam os impurum obijcit: Quis porrò non animaduertit, duplicem in illa Collectione committi fallaciam, primū à dicto secundum quid ad dictum simpliciter:*

de potestate communicata Sanctis: quæ certè non est societas officij: aliàs enim inter Caput & membra nullum esset discrimen: Ideò propriè loquendo, vt agnoscunt omnes Patres, nominatim Hilarius lib. 7. de Trinitate, omne iudicium datum est filio, quia vt vna est natura patris & filij, sic vna virtus, potestas: propriè est hæres, & Dominus mundi: nos autem ex gratia, & quatenus membra eius sumus, participes illius gloriæ suo modo dicimur. Deinde quid illa loca de gloria promissa non aliquot mortuis sanctis, sed omnibus fidelibus, vt disertè monet Augustinus in Psal. 49. non solos Apostolos, sed omnes Fideles suo modo nundum iudicatuos, ad intercessionem aliquot Sanctorum mortuorum faciunt? Negatur ergò consequentia, ab eo quod expressè testatur Scriptura communicari sanctis, ad id quod nec commemorat Scriptura, nec in Sanctos cadere potest.

Aeque igitur ac superiorum locorum infirma est probatio, quam pag. 116. suæ Apologiæ repetit, & primo loco ponit Arturus ex Apocalyp. 2. vbi clarissimè sanctorum Patronorum assertio extet: *Qui vicerit, dabo illi potestatem super gentes, & reget eas in virga ferrea.* Et negat impudenter suo more Arturus, promissionem illam ad omnes fideles pertinere: Neget ergò Fidem esse victoriam, qua vincimus mundum: Neget Fidelibus omnibus promissam victoriam Diaboli & mundi, & vitæ æternæ coronam: Nonne illo ipso Capite v. 7 sermo fit ad Ecclesias? *Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis: Victori dabo edere ex arbore vitæ* Item v. 17. *Ecclesiis dicitur: Victori dabo ex Māna illo abscondito* Sic. v. 23. *Dabo unicuique vestrum secundum opera sua. Et paulo post: Si quis vicerit & custodierit vsque ad finem opera mea, dabo ei potestatem in Gentes.*

De

De loco ex cap. 5. Apocalypf. quem & isti homines subinde obijciunt, iam sæpe à nostris responsum fuit, nullo modo tequi: Sufficit significant preces Sanctorum: Ergo Sancti mortui orant pro nobis: Item Sancti canunt Canticum nouum, vt ibi dicitur. v. 9. Ergo intercedunt pro nobis. Riderent pueri ipsi in Pædagogis talem argumentandi rationem.

Præstat ergò agnoscat Arturus sua somnia, quàm Demonstrationes Euangelicas, quas inter alia ex Somnio Oniæ, cuius fit mentio 2. Maccab. libro nimirum Apocrypho, in quo auctor non diffitetur, se in multis errare potuisse, probare in Thesisibus conatus est: ex quo loco tamen nullo modo statui potest Inuocandos Sanctos, sed hoc tantum, Ieremiam sedulo orasse pro Dei populo: vt de librorum illorum auctoritate non recenseam quid sentiant Patres: Concil. Laodic. c. 59. & Hieronymus in Præfat. in Prouerb. Salom. qui legi quidem eos, non autem inter Canonicos numerari volunt.

CAP. 4. Inania esse & inepta effugia, & distinctiones absurdas quibus suos Idololatrias cultus excusare volunt Pontificij.

Non temerè certè olim à quodã Græco dictū fuit, Malā causam multis pignētis, & pharmacis artificiosè conquisitis opus habere: ad quæ Monachi quoq; & horum æmuli Iesuitæ confugere solent, cū sua dogmata consistere non posse animaduertunt, si ad verbi Diuini, lapidis verè Lydij, normam reuocentur. Quā multa enim quæso effugia, quā miras distinctiones excogitarunt, vt Sanctorum mortuorum, & in Domino quiescentium religiosum cultum & Inuocationem probarent, id est, populo, quas fecissent fabulas persuaderent.



Ac imprimis quidem mirari soleo Iesuitas, qui eruditionis & literaturæ laudem præ aliis captant, indoctam illam & ineptā distinctionem inter Patriā, quæ Deo debeat, & Duliā, quæ Sanctis tribui possit, defendere conari, quod pertinaciter facit Arturus: c. 4. suæ Apologiæ: in quo multum laborat, ut à Pontificijs crimen idololatriæ remoueat. Et nescit tamē quo se pag. 50. vertere debeat, ut distinctionē Patriæ, & Duliæ tueatur: Iā ait apud prophanos quidē auctores illa vocabula cōfundi. Et nos illi tamen loca Scripturæ opposuimus: Iam pronunciat nō de vocabulis sed de reb. disputari: quasi de reb. bene disputari possit non cognita significatione vocabulorum, quæ ad res explicandas adhibentur. Iā ad Augustinū confugit: cuius auctoritas contra tā expressa loca Scripturæ illā distinctionem redarguentia nulla esse potest, præsertim cū constet Augustinū (quod ipsemet non diffitetur) in lingua Græca versatū non fuisse: Ideō non pluris à nobis illa eius distinctio fit, quā etymologia vocabuli Pascha, quam alicubi à verbo Græco *πάσχα* derivat. Et certè *θεο* Deo, tanquam Domino deberi, nullus sanæ mentis negare potest, qui Deum simul dominū esse non neget. Quapropter & Laurentius Valla, in Matth. cap. 4. distinctionem illam, quoad vocabula, nullam esse contendit, & productis locis manifestis comprobatur. Imō nec Augustinus ipse distinctionē illā semper retinuit, ut apparet: Quæst. in Exod. 94. cum cap. 23. hæc verba tractat: *Si serueris Dijs alienis, tibi erunt offendiculo.* Sed quod imprimis obseruandum est, nunquam illa Distinctione Patriæ & Duliæ vsus est Augustinus, ut vel inuocationē, vel cultum religiosum creaturarum tueretur, sicut Iesuitæ faciunt: sed in hunc tantum finem, ut cultum
religio-

religiosum à Ciuili discerneret: vt videre est lib. 10.
de Ciuitate Dei. c. 1. & 19.

Verum accedo ad alias distinctiones Arturi, quas
magis reales esse putat: quanquam verba dat homi-
nibus, & manifestum agit impostorem: quando ait pag. 32.
Pontificios admittere illud Athanasij, Fideles nul-
lam creaturam inuocare, vt sibi sit auxilio: nec in-
uocari Sanctos, quod per se aliquid possint: sed vt a-
pud eum, qui solus omnia potest & auctor est dono-
rum perfectorum deprecatores agant: Muliercularum
igitur illarum superstitionem ab Epiphanio merito
reprehensam fuisse, quæ Virgini Mariæ vt Deæ sacri-
ficabant. Et nominatim cap. 4. Apologiæ sudat in
excusandis Pontificijs de Idololatria, & ita loquitur,
vt quiuis agnoscat illum contra conscientiam in-
tuendo Creaturarum Religioso cultu tantum ope-
ræ ponere: Catholicos enim ait fateri Christum abs-
que vlla Sanctorum Inuocatione rectè implorari, &
æterno Patri per Christum nulla facta mentione Sã-
ctorum rectè supplicari. Item cap. 5 Apolog. Sancto-
rum Inuocationem non esse necessariam: Diuinos
honores non tribui Sanctis, vt Gentes Diuos suos co-
lebant: sed vt Dei amicos compellari. Atqui hic Ar-
tuum meminisse oportebat. 1. omnes fideles &
Christianos esse Christi amicos, siue militent in ter-
ris, siue quiescant eorum animæ in coelis: & toti Ec- pag. 42.
clesiæ Christianæ reuelari Dei arcana, & totum eius cõ-
siliũ de admiranda redemptione generis humani, vt li-
quet ex locis Ioh. 15. & Act. 20. Deinde ita illos esse a-
micos, vt simul serui sint, & Creaturæ lögè infra Do-
minũ & Redẽtorẽ subsistẽtes: nec illius gloriæ, quæ ad
officiũ *θεου πατρός* pertinet, participes qualis est exau-
ditio precũ & intercessio p nobis in eterno Dei San-
ctuario, 3. Amicos non esse, sed sacrilegos, qui quæ

amici sunt, inuito Domino, ad se rapiant: quod in Sanctos cadere nequit: qui omnes proculdubio ita comparati sunt, vt sanctus Propheta David Psal. 115. *Non nobis Iehoua, non nobis: Sed Nomini tuo da honorem & gloriam.* IIII. Meram esse petitionē principij: Eos non coli vt Deos, nec more gentilitio coli Sanctos: sed vt intercessores tantum apud summum illum Deum appellari. Nam quid Deo proprium manet, si illi de nobis magis sunt solliciti, quàm Deus? Quod si in Dei cura & benignitate acquiescimus, quid illis opus? Si in B. Mariam cadit, vt sit Domina Misericordiæ: porta cœli, si imperium in filium habet: Si Sanctorum merita nobis aliquid merentur: Si omnia vident, si omnibus succurrunt inuocati, si sunt patroni: Si altaria, templa in eorum honorem extruenda, & de eorum nominibus cognominanda, quid illud est, quod Deo relinquunt, nisi nomen summi Dei, & multò minus quàm Ethnici Ioui suo, quem solum omnia videre, & omnibus prospicere arbitrabantur? Nos mandata, nos exempla proferimus de vno Deo per Christum inuocando: Nos promissiones ab illo solo habemus: Nos prohibitionem expressam, ne quidquam præter illum ante & post illum fingamus, siue sit Angelus, siue Apostolus, quod cultu religioso colamus: Et rationem adfert Scriptura: quia ille solus bonus & beneficus: Ille solus omnia videt: Ille solus fecit cœlum & terram: Solus gestat, & eripit, & seruat ab omni malo: Ille omnes ad se inuitat: Ille neminem excludit, neminem repellit ad se venientem, Et hoc est proprium numinis, inquit Arnob. lib. 7. contra Gentes: *liberales venias, & concessiones habere gratuitas.* Nec hoc iuuat Pontificios, quod aiunt, se non præterire Deum. imo agnoscere præcipuā & primam causam efficientem: San-

Psal. 50.
psal. 65.
Esa. 45. &
46. Iere.
10. Matt,
11.

Sanctos efficientem secundariam & instrumentalem, quia nullus fuit vnquam tam cæcus Idololatra, qui se Deum præterire diceret: sed omnes etiam inter Ægyptios se ideo Creaturas qualdam venerari profitebantur, quod Diuinum aliquid in eis agnoscerent. Iudæi certè, & Deum, & templum semper in ore habebant: Interim cum alia ratione eum colerent, quàm in verbo præscripserat, & simul in Deo & in Creaturis spem ponerent, sic eos Deus affatur Ierem. 2. *Quid inuenerunt Patres vestri in me iniquitatis, quòd longè abscesserunt à me, & secuti vanitatem vani facti sunt:* Et Epiphanius muliercularum superstitionem teste ipso Arturo, reprehendit, quæ licet Christum Seruatorem agnoscerent, Mariæ nimis tribuebant: nec tamen reprehensionem meritæ fuissent, si ius habet in natum, si cæli Regina, si Domina est Misericordiæ, vt Pontificii contendunt. Deprecatore verò cur alio sit opus quàm Christo, in cuius nomine omnia dantur. Ioan. 16. & si omnia, manifestè sequitur in aliorum nomine nihil dari, qui solus via est, veritas & vita. Ioan. 14. Solus Filius ille, in quo Pater acquiescit, solus qui sanguine suo aditum ad thronum gratiæ muniuit, qui vt mortuus est pro nobis, sic pro nobis postulat. Rom. 8. & æternus est Pontifex, sedens ad dextram throni maiestatis cælestis Hebr. 8. Beati itaque omnes sperantes in eo: Psal. 2. *Miseri & infelices, quicumque adulterando deficiunt ab eo: Inquit Dauid Psal. 73. Quis enim, vt ibidem ait, mihi in cælis, Domine, præter te, & præter te nullo delector in terra.*

Veruntamen inquit Arturus, pag. 47. Apologiæ: **P**arentes sunt honorandi: Si hoc nihil derogat cultui Diuino, cur derogaret Sanctorum cultus? Respondeo ex ipsius Arturi verbis. pag. 53. Derogat omninò:

L

quia Sanctos scribis non ciuili, (de quo controuersia non est) sed religioso honore colendos: & ex Thoma Aquinate statuis, eos causam esse efficientem secundariam nostræ salutis: & per consequens secundarios Seruatores: Item inuocandos inuocatione religiosa, quæ inuocatio ex fide manat, vt docet Apostolus Rom. 10. Fidem verò sibi Deus solus vendicat. Ioan. 14. *Creditis in Deum, etiam in me credite.* Quid igitur Arturus? Deus (inquit) multa, quæ sunt ei propria, hominibus cõmunicat: vt quod Magistratus Dii vocantur. Item immortalitatem; quæ animabus comunicatur. Ergo sine Idololatria inuocatio & cultus religiosus Sanctis comunicari potest. Respondeo primùm ex Arturi verbis pag. 51. Idololatria est, cum homines eam fiduciam, Inuocationem & cultum, quem soli Deo debent, cum creaturis partiuntur. Ergo sine Idololatria inuocatio & cultus, quem nusquam Creaturis Scriptura cõmunicari ait, sed soli Deo deberi monet, tribui eis nequit. Deinde aio illam instantiam facere contra Arturum. Nam Magistratus Dii vocantur, quos tamen pro Laicis & profanis habent Iesuitæ, tantum abest, vt religioso cultu eos inuocandos censeant, & animabus omnibus piorum, non aliquot tantum Sanctorum comunicatur immortalitas: sed immortalitas illa, quæ est effectum & donum Diuinum, non illa quæ est proprietas Diuina. Deus enim propriè est solus immortalis: quia, vt docet Augustin. lib. 1. de Trinit. *Vera immortalitas est incommutabilitas quam non habet creatura: vt Iacob. 1. dicitur: Apud Deum non est transmutatio.*

Sed quid agas cum homine præfractio: cum Monacho effronti, qui cum magno supercilio pag. 51. ait se contemnere hæc rationes: *Deum esse primum & nouis-*

novissimū: Item, *Deum suam gloriam alteri nō dare*. Item pag. 64. se omnes rationes nostras despiciere & flocci facere: & pag. 53. mendacia vocat, q̄ obieci, quod tam testatū est, quod omnes vident in pagis, in villis, in ciuitatibus: Pontificios nimirum in honorem Sanctorum, Altaria, Tempa cōsecrare, & de eorum nominibus cognominare, dies festos instituere.

Verūm (inquit ille) cap. 5. Apologia: honori & officio Mediatoris nihil detrahitur, etiam si inuocentur Sancti. Rancidam nimirum nobis reponit distinctionem inter Mediatorem Redemptionis, & intercessionis: Cū eius solius sit in cælis deprecatores agere, qui sistit in cælis suum sacrificium pro nobis oblatū: 1. Tim. 2. v. 5. 6. & Rom. 8. v. 34. & Hebr. 10. v. 19. 20. 21. At, inquit, ad Christū eos ablegamus tanquam nobis sanctiores: Sed quo mandato? qua promissione subnixi? Quid Christo sanctius? Quid Christo clementius? cur illo deprecatore tam benigno, tam prōto contenti non sumus? Nonne vel ex diffidentia, vel ex cōtemptu bonitatis eius, ad alios recurritur? At qui (inquit) licet nobis in terris constitutis recurrere ad preces fratrum, & amicorum, & eorum intercessionē apud Deum sine præiudicio & cōtemptu Christi Mediatoris implorare. Respondeo: 1. Mandatum expressum ea de re habemus & promissionem Matt. 18. v. 19. non autē de mortuorū inuocatione. 11. Non sunt, qui in terris sunt, in Dei Sanctuario, vbi solus est Pontifex Christus. 111. Preces mutuae in terris nihil derogant Mediatori: Quia nō eo modo eos oramus, vt Pontificii mortuos, qui eos causam efficientē secundariam bonorum donorum faciunt, sed piorum fratrum precibus in terris nos commendamus, quia vult Deus in terris nos mutuas infirmitates sentire, &

vno quasi ore Deum Patrem inuocare per Christum. Deniq; non petimus, vt per merita fratrum nostrorū in terris sit nobis Deus propitius, nec religioso cultu id ab eis petimus, vt pro nobis orent, nec templa & altaria eis extruimus, aut peregrinationes Religionis ergò ad eos suscipimus. Quare inanis planè est illa collectio à viuis ad mortuos: à societate Christiana ad religiosam inuocationem: à re mandata ad rem prohibitam: atque idcirco nihil ad rem faciunt, quæ de amicis Centurionis Christum ad euntibus, item de D. Paulo, qui piorum viuentium in terris precibus se commendabat. Cæterum obsecro candidum Lectorem, vt obseruet, quàm mala conscientia *οφθαλμοφθώρα* illa *Φάρισα* conquirat Arturus ad sanctorum defunctorum inuocationē tuendam: cū postea fateatur eam nō esse necessariam: quod certè dici non posset, si mandatum haberet in Scripturis, & si Hæretici essent, qui eam omittunt: Et attendat quæso Lector, quid pag. 62. Apologiae scribat: *Non esse necesse inuocare Sanctos: Idem esse, vt de mendicis, quibus das stipem si vis: si vis, prateris: Item vt de Coniugio: Nubere licere sine crimine: At laudem maiorem mereri, qui caelebs maneat.* O inuictum robur veritatis, & hominem mala conscientia malam causam agentem: Sed heustu Arture: Licetne inuehi in eum, qui non dat stipem mendico? vel qui nubit? Quare tu nos ergò ideò quod omittimus inuocationem Sanctorum, de qua tamen tale mandatum non habemus, vt de Coniugio, tanquam Hæreticos insectaris, & diris deuoues?

CAP. 5. De falsis Hypothesibus Pontificiorum, qualis est de Notitia rerum nostrarum. De Speculo. Item de Commercio cum rebus humanis: vnà cum refutatione aliquot calumniarum.

Et si

Etsi Laurentius Arturus Apologiam suam in certa capita distribuit: tam multa tamen miscet, tam multa subinde repetit, ut nobis excerpanda fuerint, quæ plus momenti habere videbantur, & in gratiam Lectorum certo ordine singula tractanda & collocanda. Dicemus ergo nunc, primum de falsis aliquot eius Hypothesibus: deinde de calumniis, nec tamen de omnibus: quibus tota Apologia scatet: verum de nonnullis grauioribus, quæ indicio sint æquis lectoribus, quale sit ingenium transfugæ Oxoniensis: *Nam qui desinit obuiare, cū potest, peruersis, nec facit, cōsentit:* inquit Augustin. In Psal. 81. Sed venio ad falsas Arturi Hypotheses. Ait cap. 6. Totam Liturgiam Ecclesiasticam etiam, pro mortuis institutam esse: Si adderet, à nonnullis Pontificibus Romanis, quibus ipsimet mortui tributum pendunt, & quibus Missæ pro defunctis maximè sunt quæstuosæ: non ita à vero aberraret. Liturgia autem Ecclesiastica cū constet prædicatione verbi, administratione Sacramentorum, precibus mutuis, & omni communicatione officiorum huius vitæ, ut colligimus ex cap. 2. Act. v. 42. illa ad defunctos, qui non amplius peregrinantur, sed sunt apud Dominum pertinere, aut ab eis usurpari non possunt. Ideò scribit B. Petrus: *Iustum arbitror, quamdiu sum in hoc tabernaculo, excitare vos per commonefactionem: Cum sciam breui futurum ut depo-* 2. Pet. 1.
nam hoc tabernaculum meum: sicut Dominus noster Iesus declarauit mihi. Quod verò versu sequente addit D. Petrus: Dabo operam, ut post exitum meum horum mentionem facere possitis, planè non sibi contradicit: quia sensus est, operam daturum, ut Ecclesiæ post eius obitum possint recordari suæ doctrinæ, quandoquidem suas epistolas, tanquam veras reliquias, veraque mo-



nimenta Apostolica relicturus erat: Illa enim verba, nec de inuocatione Petri post mortem, nec de commercio mortuorum cum viuis sonant: sed de piis Scriptis Sanctorum, in quibus mortui Apostoli nobis sunt velut superstites. Et meræ nugæ sunt, ac Apostolicis temporibus ignotæ, Liturgias Ecclesiasticas prodesse defunctis, aut illis mitigari ignem, quem fingunt, Purgatorium. *Quando ist. hinc excessum fuerit* (inquit B. Cyprianus, contra Demetrium) *nullus locus est pœnitentia: nullus satisfactionis effectus. Hic vita, aut amittitur, aut tenetur.* Et Diuus Augustinus ad Hesychnium epistola octogesima: *qualis quisque moritur: talis à Deo iudicatur: nec potest mutari, corrigi, vel minui Diuina sententia.*

Cap. 6.
& 9.

Nititur autem prior illa Hypothesis Arturi de Liturgia, aliquot aliis falsis Hypothesibus: Qualis est, Sanctos in Domino defunctos communionem & commercium habere cum rebus humanis, Videreres humanas: Affici nostris calamitatibus: quanquam hîc mirè est perplexus. Angi enim beatas animas, affirmare non audet: Exaudiri preces quantum ad vocem in tanta distantia, & cum ubique non sint sancti, impossibile animaduertit: Corda & cogitationes intueri, minimè fateri audet:

Pag. 67.
Apolog.

quia illud est Dei proprium. Irenæum & Augustinum de statu animarum post mortem ambigua & obscura scribere agnoscit. Ergò totus dubius ait: *Licet nullum mandatum de illis inuocandis extaret: Calamitates nostras nos debere impellere ad eos inuocandos: cum felices plus possint quàm miseri.*

Cap. 6.

Sed, Deus bone, quæ est illa coniectio? Defen-

ctum

At in Domino sunt beatioreſ militantibus in terris: ergo à calamitofis ſunt inuocandi. Nonne vides Arture eſſe fallaciam cauſæ non cauſæ, & totam Scripturam nos ablegare in noſtris miſeriis & calamitatibus ad fontem & auctorem beatitudinis: qui nobis militantibus eandem felicitatem promiſit, quam beatis defunctis. Inſpice Pſalmum quinquageſimum, verſu 15. & Pſalmum 118. verſu 5. Inſpice Eſai. capite 55. verſu 1. & 2. Inſpice Sophon. capite 3. verſu 12. & Matth. 11. verſu 28. & inuenies ad quem inuocandum nos calamitates noſtræ impellere debeant.

Verùm audiamus, quot hîc *σοφὰ φάρμακα* cumulet Arturus, vt falſas ſuas Hypotheſes tueatur.

Cultus religioſus viuſ fuit exhibitus:

Ergo mortuis exhiberi poteſt.

Reſpondeo falſum eſſe Antecedens: Nam vt ſupra demonſtratum fuit: Religioſum ſemper repudiarunt Angeli & Apoſtoli: ciuilem admiferunt: Religioſus quippe cultus cùm à Religione definiatur, quæ Deum habet autorem, & Deum ſolum reſpicit, eoque ſolo nititur: illi quoque ſoli debetur. Et contra Pontificios facit, quod illi ſubinde ex 2. Theſſal. capit. 3. adferunt, Diuum Paulum vocaſſe Theſſalonicenſes ſuam ſpem, & gloriam: quandoquidem id non de Sanctis mortuis: ſed de viuſ, & de Laicis, quos vocant, dixit: Nec illos Religioſo cultu coluit: ſed ſecundum quid illud de ipſis prædicauit.

Sancti in cælis præditi ſunt charitate:

Charitas poſtulat, vt afficiantur noſtris miſeriis & orent pro nobis.

Ergo orant pro nobis:

Ad

assumptionem respondemus, illam non esse simpliciter veram: Caritas postulat, vt iuxta conditionem & statum suum ament Ecclesiam, & agant, quod ratione status agere possunt. Conditio eorum non fert, vt fleant, angantur, intercedant pro nobis: sed optent impletionem Regni Christi: & nostram salutem, quod & nos concedimus: Nec sequitur, eos qui pro nobis non intercedunt, nos non amare: Ita enim Deus Pater nos non amaret, qui non dicitur intercedere pro nobis.

III. Tertium Sophisma: Credimus communionem Sanctorum. Ad eam autem pertinent etiam sancti defuncti. Ergo & sancti communionem habent cum rebus humanis: Quis est tam hebes, qui non videat, in illo argumento nihil cohærere, & diuersos esse terminos: Communionem Sanctorum & commercium habere cum rebus humanis: Quia illa communicatio dupliciter consideratur, in hac nimirum vita, & in futura: In hac vita in communionem verbi prædicati, Sacramentorum, eiusdem spei & officiorum caritatis: In illa verò, eiusdem beatitudinis & gloriæ, & quod siue viuimus, siue morimur, membra manemus eiusdem corporis, nempe Christi: licet alia membra militent: alia secundum animam fruuntur quiete & gloria cœlesti, expectantes tamen plenam reuelationem omnium filiorum Dei, & carnis Resurrectionem. Valeat ergo Arturus cum sua calumnia, qui ideò astruere conatur nos negare sanctos in cælis pertinere ad communionem Sanctorum, quod ei ex ipsa Catechese Pontificis Pii V, Definitionem communionis Sanctorum obiecimur, & inter Ecclesiæ visibilis & inuisibilis, militantis & triumphantis conditionem distinximus.

Pag. 101.
Apolog.

Sophis-

Sophisma illud etiam subinde repetit: Si cum gloria Dei & eiusdem dilectione pugnaret, Sanctos habere pro Patronis, & iis uti intercessoribus: pugnaret & quod pro inuicem oramus, & quod nonnulli Rebus publicis præsent, & ius patronatus in terris habent: Verum hanc collectionem, in qua sapientum octauus Arturus, qui stupiditatem & ineptiam subinde nobis obijcit, tantopere sibi placet, nullam esse iam supra demonstrauius: quia a viuis ad mortuos, à rebus mandatis ad prohibitas, à ciuili politia ad Patronos, qui Religioso cultu colantur, nulla est consecutio & collectio legitima.

Postremò falsam illam Hypothesin Pontificiorum de scientia sanctorum per speculum (ut loquuntur) Trinitatis, nullo certo fundamento niti, sæpe à nostris luce meridiana clarius demonstratum est. Nam & Lombardus ipse dubitanter ea de re loquitur lib. 4. Sentent. distinct. 45. Non est incredibile (inquit) animas sanctorum in Dei contemplatione, eas quæ foris sunt, intelligere, &c. Eas certè scire & sentire, quæ hic aguntur, sæpe negat D. Augustinus: ut lib. de Spiritu, & anima cap. 29. De cura pro mortuis cap. 13. Nunquam autem & nullibi liquidò affirmat, ac ne quidem in Plal. 108. vbi potissimum hanc quæstionem tractat, nec in lib. de cura pro mortuis ca. 13.

Cæterum scientiam & quidem aliam, quàm eam, quam hic in terris habemus, & in qua, ad miniculo sensuum corporalium non sit opus, in beatis Spiritibus & animis facile agnoscimus, Deum etiam beatis Spiritibus, quod eos scire refert, & ad illius conditionis gloriam pertinet, reuelare non dubitamus. Statum autem rerum huius vitæ, & negotiorum humanorum ipsis declarari & notum esse nullo Scripturæ testimo-

Pag. 112.
Apolog.

2. Reg. 5.

nio, nullaque apodictica ratione comprobari potest. Neque valet hæc Arturi collectio, quemcunque autorem habeat: Elizæus puerum suum Giezi absens corpore vidit accipientē munera, quæ dedit ei Naanam. Ergò Sancti videbunt omnia: Quis enim sanæ mentis à speciali visione ad vniuersalem: ab officio prophetico ad statum beatorum, ab ijs, quæ in terris fiebant, & prophetam nosse oportebat, ad ea, quæ ad beatorum cognitionem non requiruntur, & diuersæ sunt conditionis concludi rectè affirmabit? Æque ἀσυλλόγητον est illud Arturi: Angeli gaudent de cōuersione peccatorum, & bono statu rerum humanarū: & per consequens eum cognitum habent: Sancti autem in illa vita dicuntur ἰσαγγελιοι. Ergò & statum rerum humanarum perspectum habent. Respondeo: Angeli cognitum habent statum nostrum in genere; & quatenus mittuntur ad nos, & sunt custodes nostri: Delectantur etiam bono nostro: Sed inde non sequitur, exaudire preces, quandoquidem non vno & eodem momento sunt vbique, in cælo scilicet & in terra: sed sunt definitiue vbi sunt: ita, vt dum in cælo sunt, res nostras non videant, nec voces nostras inde exaudiant, multò minus cogitationes perspectas habeant: quandoquidem posse implere omnia, & transire per omnia, & sequi in omnibus, non est alteri naturæ, vt monet Cyrillus lib. 5. de Trinitat. quàm diuinæ tribuendum. Quod ad beatos verò, & sanctos atinet, Christus certè non ita simpliciter pronunciat eos pares esse Angelis: sed pares futuros in Resurrectione: & quidem (vt loci illius circumstantia ostendit) secundum quid: nempe quia carnalium affectuum expertes erunt, & coniugio opus non habebunt. Sed planè miserum confugium quæ fuit Arturus: in infer-

Matth. 22.

infer-

inferno in anima damnati Epulonis, quæ (vt ipse sta- Lu. 16. 27
tuit) notitiam habuerit & curam rerum humanarū :
cūm voluerit mitti Lazarum in domum patris sui :
quam notitiam Abraham quoque habuisse videtur :
quando respondit: Habēt Mosem & Prophetas. Nos
verò Arturo respondemus, illam siue parabolam, vt
putat Chrysostomus, siue Historiam, vt Tertullianus
& Hieronymus arbitrantur: non esse latius extenden-
dam & applicandam, quàm fert Christi scopus: cui
nō fuit propositum de notitia animarum post mor-
tem suos erudire: nec Chrysostomus, qui 4 Homilias
in illum locum scripsit, eius vllam mentionem facit:
Augustinus autem cap. 14. lib. de cura pro mortuis di-
sertè negat, inde effici mortuos scire, quid agant vi-
uentes in terris: Imò ait ipsum Abrahamum nesci-
uisse, an tunc essent in terris prophetæ, nisi ex indica-
tione vel Angeli, vel Lazari, quod ipsum in Decreto
Pontificio, canone Fatendum asseritur, non nosse sci-
licet mortuos nisi ab alijs ad eos perferatur, quid fiat
in terris. Quare meræ sunt speculationes, quicquid
Pontificij siue a Gregorio, siue a Thoma Aquinate e-
docti, de speculo Trinitatis, in quo Beatæ animæ om-
nia intueantur, & tot hominum simul diuersis in lo-
cis orantium vel mentes vel vota intelligāt, quod in-
finitæ illius naturæ proprium est, adferunt: Ignotum
est illud speculum Scripturis: Ignotū orthodoxæ An-
tiquitati: Videmus nunc in terris per speculum & in
ænigmate: Ibi facie ad faciem post Resurrectionem,
id est per pleniorē manifestationem: de qua visione
multa Augustinus lib. 22. de ciuitate Dei cap. 29. Ni-
hil autem de speculo aut visione & notitia rerum hu-
manarum, qua animæ, quæ ex terris excedunt prædi-
tæ sint. Et cur quæso non acquiescāmus in illo inter-



cessore, in quo pater celestis acquiescit, & quem constat abstrusissimos cordium recessus, & intimos animorum gemitus intueri, nosq; clementi oculo semper respicere, excludere neminem ad se venientem, omnibus facilem, omnibus inuocantibus ipsum benignum & promptum esse? Cur nullum est donum corporale aut Spirituale, quod à Sanctis non petatis? Cur novos mediatores, novos Deos, noua numina nobis fingamus? Nam (vt ille non abs re monet)

Mart.
lib. 8.
epigr.

Qui fingit sacros auro, vel marmore vultus:

Non facit ille Deos: qui R O G A T, ille facit.

Epist. 3.

Venio ad calumnias aliquot, quæ Arturo valde sunt familiares: quòd sibi fortè persuadeat, si quis audacter calumniatur, aliquid semper hæere: vel se lectores tam credulos & ipsi addictos inuenturū, qui omnia eius dicta pro oraculis habeāt. Atqui hæc est verè dementia (inquit B. Martyr Cyprianus) non cogitare, quòd mendacia non diu fallunt: noctem tam diu esse, quam diu illucescat dies. Mera & putida calumnia est, quod ait nostros Theologos animæ beatitudinem sanctis denegare, & scribere eos dormire: Atqui ita loquitur Scriptura, sanctos dormire: *Amicus noster Lazarus dormit*, inquit Christus: sed respectu corporis iacentis in sepulcro, tãquam in Coemeterio siue dormitorio. Errorem eorū, q̄ animas post mortē dormire censent, eruditissimè, si quisquam alius, peculiari tractatu, nempe in Psychopanychia refutauit Calvinus. Cæterum vt nihil tam benè dici potest, q̄ malè narrando nō possit deprauari: cum scribit Calvinus, & quidem verè lib. 3. Inst. ca. 20. sec. 20, Christū tanquam summum nostrum Pontificem solum ingressum esse sanctuarium: & populi eminus in atrio residentis (id est piorum in terra residentium) vota

ad

ad Deum deferre: id ille sic detorquet, ac si Calvinus Pag. 65.
 scriberet, solum Christum exclusis sanctis esse in cæ- Apolog.
 lo: & mortuorum animas in Atrio nescio quo resi-
 dere: ô projectam calumniandi libidinem.

Eiusdem est inuerecundiæ, quod affirmat Calui-
 num scribere, stultum esse inquirere, an Sancti gloria
 fruantur: verum ibi agit Calvin. de plena fruitione, &
 totali conditione sanctorum, de qua ipsum Irenæum
 & Augustinum ambigua tradere, scribit Arturus ipse
 pag. 67. Apolog. Interim Calvinus expressis ver-
 bis animabus sanctorum beatam quietem, & feli-
 cem lætitiã tribuit. Vide lib. 3. Instit. cap. 25.
 sectione 6.

Inter alia verò pag. 79. me cum magno supercilio
 calumniatur, fingens, me mihi ipsi contrarium: quòd
 in Theſibus meis profitear, me non simpliciter infici-
 ari vota piarum animarum pro Ecclesia & regno Chri-
 ſti, & tamen tam bardum, tam stupidum, vt eos ora-
 re pro fidelibus non agnoscam. Qualia (inquit ille in-
 faltabundus) vota sunt nisi preces? Quasi verò omnia
 vota preces sint: quod nullus ne imperitissimus qui-
 dem inter Monachos hæcenus dixit: deinde quasi il-
 la vota piarum animarum pro Regno Christi sint il-
 læ preces, quas solas impugnamus, & isti Idololatræ
 fingunt, preces nimirum, quas tanquam intercesso-
 res & exaudientes nostras preces pro singulis fide-
 libus ad Deum adferat: Et fatetur postea Arturus me
 vota illa sanctorum animarum sic definire, quod no-
 bis benè cupiant, & optent complementum Regni
 Christi, expectantes reuelationem filiorum Dei. Hæc
 si expendat Arturus, deprehendet, me nec: à me ipso.
 nec à præceptorib⁹, vt fingit, dissentire nec, vt, Thra-
 ſonicè gloriatur, irretitum teneri: sed se manifestis &



Theologo indignis calumnijs teneri: quas illi cōdo-
net is, à cuius societate & veritate alienus hæctenus
Arturus fuit, Dominus noster & Seruator Iesus.

CAP. 6. De testimonijs Patrum, & nominatim de
D. Hieronymo contra Vigilantium.

Lib. 5. cō-
tra Hære-
ses ca. 15.

Lib. 4. cō-
tra Mar-
cion.
Ephes. 2.

Verissima est & memorabilis illa B. Irenæi senten-
tia: Tenens caput Christum, ex quo vniuersum cor-
pus Ecclesiæ compaginatum est, & vtens his demon-
strationib⁹, quæ sunt ex Scripturis, facilè euertes om-
nes eas, quæ postea affictæ sunt, Hæreticorum senten-
tias. Et cum his congruit Regula illa Tertulliani: Id
verius, quod prius: Id prius, quod ab initio est ab A-
postolis traditum. Cùm igitur Ecclesia nullum aliud
fundamentum agnoscat, quam Doctrinam prophe-
ticam & Apostolicam, quæ sola est *αὐτόπιστος*, neces-
se est, vt cætera omnia scripta *κατὰ π* admittamus,
quatenus scilicet cum illo fundamento cōsentiunt.
Cyprianus lib. 4. Epist. 5. meminit Sacrificiorum
pro defunctis. In Epistolis Augustini epist. 93. Inno-
cētius Papa ad patres concilij Mileuitani scribit Eu-
charistiam infantibus ad salutem necessariam. Sed
alia est, inquit Cicero lib. 2. Offic. illa cum veritas ip-
sa limatur subtilitas: alia cum ad opinionē commu-
nem accommodatur oratio: Sic aliud est, quod pa-
tres ex Dei verbo decernunt: aliud quod ex consue-
tudine aut certa peculiarique opinione amplectun-
tur: nec potest nos in rebus religionis & dogmatibus
ligare aliquid, quod non cum Scripturis consentiat,
quantumuis sit vetus: quia semper is, qui ante om-
nes est, & solus via, veritas & vita, Christus, audien-
dus est. Cum igitur nulla omninò expressa loca ex
scripturis in medium adferri possint pro inuocatio-
ne mortuorum, multa manifesta producantur, quæ
crea-

creaturas mortuas & viuas Religioso cultu coli prohibent: nihil veritati testatæ possunt præiudicare. quæ hinc inde pro inuocatione Sanctorum ex patribus allegantur. Certum est tamen plerosque vetustiores & sinceriores illam non suasisse, nec usurpasse: nec facimus eis iniuriam, quando cum iudicio & delectu eorum scripta legimus, & sicuti ea legi ipsimet voluerunt, vt nimirum sacrorum voluminum autoritas ipsis semper anteponatur. Errat itaque toto cælo, & pro suo more calumniatur Arturus, quando leuitatis & inconstantia nos accusat: si patres nonnunquam citemus, vbi & scripturis, & suis alijs scriptis consentanea loquuntur: nonnunquam eis refragemur, si quid ex opinione, aut consuetudine suorum temporum potius, quam ex Apostolica doctrina canonibus & Apostolica consuetudine tradunt. Neque tamen tantum præsidij habet Arturus in patrum scriptis, quantum se habere putat, si vetustiores à minus vetustis, si loca non suspecta à suspectis distinguantur, & plura cum paucioribus conferantur. Huc accedit, quod ex ipsis patribus plerisque, quos citat Arturus, non tam sanctos esse inuocandos: quam illos pro nobis orare astrui potest. Contedit quidem ante Origenem, Iustinam Martyrem suæ sententiæ fauisse: sed nec verba Iustini in medium adferre ausus est: nec id Iustino vnquam in mentem venit, qui pro Monarchia Dei & cultu religioso vni Deo debito contra Gentes fortiter semper pugnavit. Vt is enim monet libro *Quæst. & Respons. supra quàm decet, non sunt honorandi sancti: Sed Dominus eorum omni honore afficiendus est. Cesset* (inquit) *seductorum mortalium error, qui MARIAM Deam faciunt, & in nomine eius offerunt.* Honorem vero Sanctorum hunc esse ait: quod *Requies eorum est in*

gloria fors in beatitudine: n̄ dicere in celo. Et in oratione ad Antonium expresse ait, cum contumelia Dei fieri fabricationes Imaginum. Et in confutat. Respons. Græcorum, Summum malum esse testatur, Deum sua defraudare Maiestate: & eos, qui Diij non sunt, eius gloria falsò honorari.

Quod porrò Arturus & alij Pontificij toties in ore habent inuectiuas Hieronymi contra Vigilantium, nosque planè prostratos arbitrantur, si dicant Vigilantium idem sensisse, quod nos, & dudum ab Hieronymo fuisse damnatum: Respondemus: primum nihil planè disceptationis fuisse Hieronymo cum Vigilantio de inuocandis Sanctis: verum tantum de reliquiarum cultu, & de vigilijs nocturnis ad Martyrum sepulchra habendis: Deinde Hieronymum illud argumentum ita tractare contra Vigilantium, vt sibi Erasmus etiam tum, cum Doctor & Professor Theologiæ Bononiensis esset, temperare non potuerit, quin Lectores in argumento moneret, sic in Vigilantium debacchari Hieronymum, vt plusculum modestiæ in eo desiderare cogatur. Vigilijs autem nocturnas ad sepulchra Martyrum, quas tanto cum stomacho defendere vult Hieronymus contra Vigilantium, Ecclesiasticis viris non placuisse, illud satis arguere, quod hodie autoritate Ecclesiastica sublatae sunt, nomine tantum superstitie. Quod verò Hieronymus inde colligere voluit, Sanctos non quidem inuocandos, sed res nostras cognoscere, quod agnum vbiq̄ sequantur, quo loco Apocalypseos malè intellecto etiam Vbiquitarij sunt abusi: illa interpretatio & Chrysostomo Homilia 29. in Matthæum, & Augustino multis in locis displicuit, & à plerisque Doctoribus Pontificijs non tenetur.

Et

Et quia Chrysofomi mentio iniecta est: nihil omnino in eius scriptis authenticis de Sanctorum defunctorum inuocatione reperias. Quod enim adfertur ex Homilia 66. ad Antiochenos, merito suspectum est eruditis & attentis lectoribus, quia illa ipsa verba leguntur in quadam Homilia de sancto Paulo, quae Augustino falso tribuitur: & alibi disertissimis verbis scribit, nec Ianitore nec Mediatore (scilicet praeter Christum) apud Deum esse opus: verum sat esse si dicamus: Domine miserere mei. Et in quadam homilia de profectu Euangelii: Apud Deum aduocatis aut longo circuitu non est opus: licet enim solus sis, illum apud te ipsum orans, voti tui compos fies. Deus quippe non tam facile exaudit, quando alii pro nobis orant, quam cum ipsi oramus, licet pleni peccatis simus. Haec Chrysofomus. Tempore Athanasii, quoniam fuerit hac de re sententia, liquet, & a nobis iam antea admonitum fuit, ex oratione. 2. contra Arrianos, Sancti (inquit) id est fideles, nullam creaturam in auxilium suum vocant. Christus igitur, cuius auxilium Sancti implorant, Deus est. Item Oratione. 3. contra eosdem Arrianos: Creatura non adorat creaturam, sed Deum: quia propter cum Christus adoratur, Deus est.

Homil. 5.
& 12. in
Matth.

Hyperbolicæ igitur quaedam declamationes Basilii, Nysseni, & imprimis Nazianzeni de Sanctis vel Sanctorum cultu non possunt vel Scripturis, vel consentientibus vetustiorum patrum testimoniis præferri, aut præiudicare. Augustinus certe lib. 10. de Ciuitate Dei cap. 1. & 19. euidenter docet, sacrificia & cultum omnem religiosum, quem Patriæ cultum vocare solet, soli Deo deberi: Et quemadmodum (inquit) vtentes precibus & laudibus verba resonantia dirigi-

N



mus ad eum, ad quem corda diriguntur: sic nec visibile sacrificium alii offerre licet, quàm ei, cui nos ipsos in Sacrificium inuisibile offerimus. Theodoretus in Epistolam ad Colos. cap. 2. expressè scribit Synodum Laodicæ habitam, prohibuisse inuocationem Angelorū: Et in tractatu de Hæreticis: Cainitis Hæreticis hoc tribuit, quod nomen nescio cuius Angeli inuocarent. Nec ita eludi potest Epiphaniï locus, quem Arturo opposuimus, in quo mulierularum superstitio redarguitur, quæ panem benedictum B. Virgini offerebant & consecrabant. Nam si id, quod minus est, veteribus illis patrib. improbatur: quanto magis hæc intoleranda, quod precum sacrificia in papatu, quod candelæ & cerei ei offeruntur: quæ peccatorū aduocatā, Reginam cæli, portā paradisi eam appellare nō dubitant. Et rationes has Epiphaniï inanibus effugiis Arturi opponimus: cū scribit: Sint sancti quidem in honore, & quies eorū in gloria: verū ultra modum non sunt honorandi Sancti: sed honorandus & colendus est Dominus eorum: non autem colendi mortui. Item: Alii (inquit) Virginem Mariam spernunt, & contemtim de ea loquuntur, vt Heluidiani: alii in extremū alterū decurrunt, nimis impense eam colentes. Item, Diabolus prætextu iustitiæ in hominum corda irrepit, & Deificans naturā mortalem excogitauit statuas formam humanā representantes, vt homines mortuos adorarēt, & sic per adulteriū ab vnicovero Deo abducerentur cogitationes. Corpus Virginis sanctū fuit: Deus non fuit. Virgo honorata fut, sed nō data ad adorandū: cū illa ipsa adoret eū, quæ secundum carnē ex ipsa natus est. Ideò dixit ei Dominus Ioan. 2. Mulier, quid mihi est tecum: ne quis Virgini nimis tribueret, & nimia eius admiratione in hæresim

hæresim incideret: Item, quæ Scriptura recitat, quis propheta iubet adorari hominem? Si Deus non vult adorari Angelos, quanto minus filiam Annæ? Creatura ad Dominum se conuertere debet, vt vnum Deum colat. Hæc sunt, inquam, hæc sunt, quæ attendere debuit Arturus, & quæ consentienter cum vetere & nouo Testamēto docuit pia vetustas: cui tot Idolomania, tot Sanctorū inuocationes, tot patroni in singulis necessitatibus ignoti fuere: Eò enim in Papatu delapsus erat plerisque in locis vulgus, vt meritò usurpari potuerit illud Ieremiæ cap. 2. *Quomodo dictura es, non pollui me. Vide viam tuam. Qui dicunt ligno, Pater meus es. & lapidi, Tu peperisti me: tempore calamitatis dicunt: surge & serua nos: Secundum numerum ciuitatum tuarum sunt Dii tui Iehuda.*

CAP. 7. Inutile esse perfugiū ad nescio quæ miracula Sanctorum: nō consistente causa principali: cum Conclusionē & breui Admonitionē ad Arturum.

Nota est Iurisconsultorū Regula: cūm principalis causa non consistit: plerunq; nec ea, quæ consequuntur: sed in primis notum & certū est istud Theologicum Axioma: Nulla quantumuis speciosa miracula posse confirmare falsum aliquod dogma: q̄ gloriæ & honori Dei deroget: vt à nobis demonstratū est, tale dogma esse Traditionē Pontificiorum de cultu religioso, & inuocatione mortuorū. Accedit & alterum axioma Theologicū: Non trāsfundi à Deo in sanctos vim edendorū miraculorū: nec hæc Sanctos virtute vel propria, vel communicata efficere: Sed tantūm ministros esse externorum operum: Sancti enim cūm ea efficere dicuntur, *μετ' αὐτῶν*, & tanquam externi operis ministri ea facere dicuntur. Ideò talibus organis vsus est aliquādo Deus, non vt ad ipsa organa, sed

ad miraculorum autorem Deum oculi, & mentes conuerterentur, & eius verbum eò magis apud mortales in precio esset. Ediderunt itaque sancti miracula: & ossa ipsa Elisæi mortui, mortuum suo contactu in vitam restituerunt: neque tamen vsquam legimus in scripturis, vel Eliam, vel Elisæum, vel alios Sanctos post mortem inuocatos: ita vt manifestus sit miraculorum abusus, quando ad superstitiones, vel ad cultum religiosum creaturarum proferuntur. Et perpetuò sibi contradicit Arturus, quando ait omnia ad Dei gloriam referri, in Deo solo, non in creaturis, aut imaginibus spem poni: ac interim contendit B. Virginem rectè vocari spem miserorum: Reginam misericordiæ, ad Creaturas, ad Sanctorum imagines pro recuperanda sanitate peregrinationes suscipi: cultum Religiosum eis deferri, & alia quæ sibi, sibi soli summa illa Maiestas vendicat: Idololatræ sunt, non Dei cultores, quidquid prætendant de sua erga Deam pietate: quicumque eum aliter colunt, quàm ipse præscripserit: Nò illi enim uerò Deum, sed inuenta sua, intentiones suas, & inuentiones colunt. At longum esset de fictitiis, & ineptis miraculis quibus eorum legendæ refertæ sunt, differere. Imò quæ ipsemet Gregorius in Dialogis refert: vt de Diabolo, qui cuidã presbytero Stephano caligas extrahere sit coactus: Item de Abbate quodã, ab Angelo castrato: Item, de Bonifacio quodam, qui duodecim aureos à Virgine Maria impetrauerit: Itẽ, de Fortunato quodam, qui signo Crucis equum furiosum mansuetum reddiderit: quæ omnia ridicula sunt, & præter scopũ & vsum verorum miraculorum ab ociosis monachis excogitata. Et prodiit ante annos circiter 10. libellus Lipsiæ editus à quodam Christiano Francken Romæ
in ter

inter Iesuitas educato, qui ex Iesuitarum castris se recessisse scribit, quod vanitatem & falsitatem miraculorum, quæ Virgini Lauretanæ tribuuntur, deprehenderit. Quare, vt hoc nostrum Examen Arturiana Apologiae concludam: illum moneo & hortor, si tamen *ὡτα ἀκροστικὰ, καὶ νοερά* habet, quales aures in Christianis requirit Iustinus Martyr: vt quemadmodum Gaudentium monet B. Augustinus, in extremo libri tertii: ea quæ dicta sunt intueatur: ad ea quæ dicta sunt, non fallaciter eludendo, sed rationabiliter disputando respondeat: Nam illa sua defensione inuocationis & religiosi cultus creaturarum, quid egerit: vel potius quod nihil egerit, æquus Lector (vt spero) cognoscat. Condiciones quas mihi posuit, Dialecticè & ordine disputandi, rationes aduersarias diluendi, ad statum controuersia respiciendi bona fide & in hoc Examine, & ante in Thesis nostris obseruauit. De testimoniis Patrum rotundè, & ex Patrum sententia respondi. Nec mihi, nec Caluino, nec Bezae, nec Laurentio Arturo: imò nec Basilio, aut Nazianezno, aut Gregorio, sed Christo, qui solus fallere non potest, credi volo. Ad consensum veteris & noui Testamenti, Arturum prouoco: Ne sophistica sua ad eludenda Scripturae testimonia abutatur: ne Patrum aliquot dicta Scripturae & Apostolicae Ecclesiae consuetudini anteponat, ne ex Hypotheticis Categorias propositiones faciat, vt in loco Ieremiae cap. 15. facit: ne falsa miracula & falsa supposita pro veris demonstrationibus obtrudat: Sed verum à falso discernat, qui disputantium scopus esse debet (inquit B. Augustinus) eum hortor. Id si fecerit, dum hæc vita suppetet, & quantum uocationis meae ordinariae occupationes ferent, me ad Scri-


Conclusio.

In Orat. ad Antō.

Lib. 1. cōtra Crescon. c. 15.



bendum, & colloquendum, & disputandum, & cultum religiosum autoris vnici Religionis nostræ Iesu Christi pro virili defendendum, paratissimum quouis loco inueniet.

*Errata.*

Thef. vii. lin. 2. lege, reuerenter. Thef. xxvii. lin. peni. leg. dispersa. Thef. 37. lin. 2. lege parenæ. Thef. 65. lin. 3. lege, fuerunt. Thef. 102. lin. 2. lege, singuli. pag. 73. lin. 15. lege, posito. pag. 75. lin. 7. lege, sensum. pag. 76. lin. 13. lege, mundum. cap. 4. lin. 2. lege, pigmentis.

→
2. Druck
VD 16: H 1052



46 ⁴/_{n, 2}

AB 46 ⁴/_{n, 2}

ULB Halle


3


002 814 994



SB







B.I.G.

Farbkarte #13

ologia in Academia Hei-
AVRENTIVM
snaniensem
NES II.

NGELICA,
gnavit.

IOSA ET
ndorum:quam
cripto contra
atus est.
n doctrinam orthodoxè
ia.

HÆRETICOS.
Variæ præsumptiones
incuntur: Hoc ergo
rinam nostram Apo-
m.



G Æ,
X.

27
17

